(1

Q. HORATIUS FLACCUS

Selectis fere omnium Interpretum, ac præcipue Dacierii, & Sanadonis notis, & argumentis illustratus

OPERA ET INDUSTRIA

FRANCISCI DORIGHELLO.

EDITIO SECUNDA

Auctior, & accuratior.

TOMUS SECUNDUS.





PATAVII, MDCCLXXX.

Typis Seminarii.

Superiorum Permissu, & Privilegio.



PRÆFATIO

De Satyris, & Satira Romana.
De Horatii, Juvenalis, Persii ingenio, ac mente.
De Horatianæ Satiræ præstantia.





IS est Casaubonum inter, & Heinsium, utrum Satyricum Græcorum poema, & Satira Romana unum idemque sint. Negat ille, hic affirmat. Collige mecum, quantopere a vero aberret Heinsius.

Satyri, seu dramata Satyrica constabant actione, declamatione, chorea, exitu hilari, & felici. Interferebantur etiam interdum Tragœdiarum actibus, interdum seorsum agebantur post Tragœdias, ut Romæ exodia, idcirco diversi a Satira Romana.

A Satyris semideis nomen deducebant. Hinc Horat. E. III. v. 221. *agrestes Satyros*, & v. 226. *risores*, *dicaces Satyros*. & v. 236. *Satyrorum scriptor*. Contra vero Satira Romana dicta a Satura, quam Cicero nominat *Poema varium & elegans*.

Satyri, v. g. Polyphemus, Antilochus, Sisyphus, qui nec dii, nec mortales erant, necessario agebant in Satyrico poemate. Qui intererant homines, vel heroes, ii secundis partibus fungebantur. Non aberant chori, quorum personæ partim juniores Satyros, partim seniores in scena referebant. Ex senioribus Sileni dicti graviter & scite loquebantur, eligebatur præceptor, pædagogus, nutritor Bacchi, spectaculi numen; Juniores vero scenam animabant, scurrilia quæque funditantes. Ideo Horatius docet, quemadmodum inducendi sint Satyri, quid eos fari, quid tacere deceat. E. III. v. 244. &c. Huc adde actionem Satyrorum, & Choream. Præterea Athenæus triplicem Choream notat, nempe Tragicam, Comicam, Satyricam. Nihil certe hujusmodi in Satira romana.

Satyri græcorum ab antiqua Mythologia rem præcipuam agendam desumebant, nempe ab heroibus, & semideis veterum temporum, sed Satira romana suæ ætatis vitia carpebat.

Satyri & Satiræ diverso plane modo rem pertractabant. Illi enim seria in risum vertebant, ideoque heroibus varios colores tribuebant ad risum movendum; verbo id unice spe-

cta-

ctabant, ut risum captarent. Horatius cum dicit in ep. ad Pis. v. 221. *agrestes satyros* originem hujus Poematis designat, cum dicit v. 225. *risores*, *dicaces*, ingenitum ejusdem colorem innuit. Sed Satiræ minus in risu, quam in odio, invidia, contemtu excitando versabantur.

Satyri versu jambico utebantur, Satira vero exametro. Horat. S. I. 4, 7. inter Satiram, & Comœdiam priscam id differre ait, quod hæc versibus jambicis, illa exametris constabat: *mutatis tantum pedibus*, *numerisque*. Præterea S. I. 10, 48. inventam esse Satiram asserit a Lucilio, & v. 66. vocat Satiram *intactum græcis carmen*, & Quintil. lib. 10. cap. 1. inquit: *Satira quidem tota nostra est*, *in qua insignem laudem adeptus est Lucilius*. Eadem ferme pronunciat Diomedes Grammaticus. Cl. Battous scite comparat Satyricum græcorum poeama Italicæ nostræ comœdiæ, quæ vulgo appellatur *Comedia dell' arte*, in qua mercator Venetus, Bononiensis doctor, Bergomas pantomimus, servus leno & veterator agunt, & in risu excitando toti sunt.

Etrusci a Fescennia, & Saturnia Campaniæ urbibus in rura primum deinde Romam anno 391. Satiram invexerunt, Carminis genus in dialogi formam compositum, cujus tota dignitas in obscænis iisdemque alternis jocis sita. Ibi omnia incondita, indigesta, perturbata, quoad materiem & formam. Hinc *Fescennina licentia*. E. II. 1, 139. usque ad 160. Hæc

informia poemata nuncupata sunt Saturæ, seu Satiræ, ut diximus. Satura nomen adiectivum, cui subauditur lanx. *Lanx* (Diom. Gram.) *referta variis, multisque primitiis sacris Cereris inferebatur, & a copia & Saturitate rei Satura vocabatur*. Annos circiter 120. hæc rudia carmina in agris & urbe invaluere. Neque ita multo post Livius Andronicus origine græcus spectacula scenica Romæ anno 514. idest 160. post Sophoclem, & 52. post Menandrum exhibuit. Tunc Satira nomen ac formam vertit, & dramatica aliquam partem facta est, & in scenam arcessita, sive ante sive post drama, aliquando etiam inter actus, appellata est εἰσόδιον, aut ἐξόδιον, aut ἔμβολον. Vides hactenus duas Satiræ formas. Aliquo post tempore Satira per Ennium & Pacuvium ex formarum permixtione nomen accepit, variis enim versuum poematumque generibus distinguebatur, nullo ordine adhibito, plena dicacitatis, & similis iis Satiris, quæ Atellanis fabulis adjungi solebant. Terentius Varro audacior, quam Ennius, Satiram edidit, Menippeamque inscripsit a Menippo Cynico græco, similem ex forma Satyrico Petronii, & libello Boetii de Consolatione Philosophiæ. *Alterum quidem* (Quintil. lib. 10. cap. 1.) *illud est, & prius Satyræ genus, quod non sola Carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus*. Tandem Lucilius alteram formam Satiræ impertivit, & ferme talem, qualem hodie agnoscimus in Horatio, Juvenale,

le, Persio. Hinc Satiræ nomen inditum non a formarum, sed a rerum mistione, cum sit veluti quædam conviciorum congeries in homines, inque eorum vitia, cupiditates &c.

Aliæ Satiræ æmulantur Tragœdias, quibus clarescit Juvenalis, qui

Grande Sophocleo carmen bacchatur hiatu.

Aliæ vero Comœdias, quibus Horatius. Nonnullis abunde est fellis, his aceti, illis salis. Sed plura salium genera novimus, quorum hi palatum solummodo excitant leniter, illi aut vellicant, aut urunt. Fel ex odio & perverso ingenio conflatur, acetum vero ex odio tantum, & ex quadam ingenii nota; verum aliquando ex odio, & ingenii temperatione efficitur quiddam acre dulci mixtum. Primum genus saporem addit rebus, & melli est, alterum malignitatis vim maximam declarat, tertium atroci eos dolore afficit, quibus injicitur. Non deest ferrum, quod dilaniat, ac deruncinat hominem. Satiricum Scriptorem haud dixeris similem Philosopho, qui de virtutis pulchritudine, & vitii deformitate tranquillo animo disputat; non Oratori, qui ad bonam frugem redigere homines nititur, non Poetæ tragico, qui terrorem pietatemque suscitans in sui admirationem vult quemque pertrahere; non misanthropo cuidam, qui nimio odio genus humanum insectatur, ut a vitiis ad virtutem abducat; non Heraclito, qui mala nostra plorat, non Democrito qui ridet; cui igitur? videtur Satirici hominis animo ingenera-

tum esse quoddam crudelitatis germen, quæ virtutis causam valide propugnare simulat, ut lacessere saltem impunius gaudeat vitia. Satirici igitur hominis mens fovet eodem tempore virtutem, malignitatem, odium vitiorum, vel contemtum hominum, ulciscendi cupiditatem, & quamdam indignationis vim, eo quod verbis, non ferro & igne sævire queat.

Differt Satira a Critica. Critica bonum & verum in re litteraria solummodo spectat, Auctores ipsos minime adoritur. Contra vero Satira in hominem ipsum invadit.

Licet Satira videatur esse eliminanda, atque adeo aqua & igni interdicenda, utiliter tamen legi potest. Multa enim præclara monet ad componendos mores, plura describit, quæ ingenium acuunt, animum illustrant, sed id maxime præcavere debemus, ne poetæ veneno quasi contagio inficiamur. Malus enim fieret animus, eaque virtus labefacteretur, quæ societati humanæ felicitatem parat.

Satiræ forma varia est, modo epica, modo dramatica, sæpe didactica, aliquando sermonis nomen, aliquando Epistolæ usurpat, semper tamen Satira nuncupanda, si ingenio suo velificetur. Lucilius interdum jambicis versibus usus est, sed semper exametris Horatius, quem ceteri imitati.

Apud Romanos Satiricus quisque Poeta tanquam vindex proborum hominum inimicitiam aperte profitebatur in improbos, nullo tamen odio, nulla invidia ad scribendas satiras concita-

ta-

tatus; Legislatoris vicem gerebat, credebaturque jure quodam suo legum vim interpretari debere, ac tueri. Romæ igitur satira nihil aliud sonabat, quam moralis disciplina verissimo cujusque rei judicio conjuncta, & egregie pertractata, amplectebaturque sermone, quidquid agi in humana vita vel dici vel scribi solebat. Hinc Juven.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Sat. I. v. 85. 86.

Levia hominum vitia lepide & urbane carpit, gravia vero ingenti cum verborum tum sententiarum gravitate oppugnat; ubi vero Naturæ, ac Religionis jura ac leges audacter perfractas videt, tum faces accendit, tela jaculatur. Quis non videt hæc tria Satirarum genera diversis poetarum ingeniis convenire? Sui enim quisque seculi spectaculo præsertim movetur, deinde sua cuique indoles insita est, quæ virtutes sibi invicem oppositas suscipere nequit. Sapiens Cornuti discipulus Persius in summi boni investigatione occupatus, ac libertatis plusquam Romanæ, nempe Stoicæ vi magnopere ductus nec malignas Horatii Charites, ac lepores amplecti, nec inconsulta Juvenalis in dicendo vehementia ferri poterat. Singuli hi tres Poetæ singulos, sibique invicem adversarios habuere imitatores.

Q. Horatius Flaccus aurea litterarum ætate natus Satiricum genus omni lectarum charitum

decore ornavit, iisque pigmentis & condimentis nobilitavit, quibus opus erat, ut vel delicatissimi fastidii viris placeret, & malos stultosque in vituperationem vocaret, eleganti philosopho persimilis, qui ægre videt hominum errata, videre tamen interdum gaudet. Sæpe quasdam veluti tabulas vitæ humanæ subjicit oculis; si identidem ad singula descendit, eaque ad vivum resecat, minus est in causa lædendi homines cupiditas, quam materiem animandi, & moralia præcepta in bono lumine reponendi. Fere semper nomina ficta profert, raro vera, sed hominum perditorum, qui ultro bonæ famæ valedixerunt. Non malus, non misanthropus, sed veri, & pulchri amicus putabat homines miseratione potius, & risu, quam odio dignos; propterea que ipse Satiras suas sermonum nomine donavit. Stilum adhibet simplicem, tenuem, vividum, semper moderatum, & placidum, si verbis castigat aliquem stultum, nebulonem, avarum, id ita facit, ut vel hisce hominibus vix displiceat, viri aulici sagacitatem, & solertiam optime in satiris præsefert, materiem submittit ingenio, eoque adducit, quo ipsa adduci pro dignitate postulat. Pulcherrima quæque dicit, ut alii communia, eoque consilio interdum negligenter rem tractat, ut venustiorem reddat.

Aulus Persius Flaccus Volaterris in Etruria nobili genere natus, ingenio præditus dulci, valde pius in parentes, stoicæ disciplinæ rigi-

dus

dus sacerdos ferebatur . In ejus satiris sententiæ nobiles fulgent, stilus fervet, sed obscurus fit ex allegoriis sæpe exquisitis, ex frequentibus ellipsibus, ex metaphoris nimium audacibus. Huc pertinet illud Horatii Ep. III. 25. *brevis esse laboro, obscurus fio*. Licet æmulari Horatium conatus fuerit, in ejus tamen sanguinem, ac succum se convertere nequivit; robustior & vividior incedit, sed minus venustus, insultat hominibus: *Multum & vere gloriæ, quamvis uno libro Persius meruit*. (Quintil. lib. 10. cap. 1.)

Junius Juvenalis Aquinas est Persio ardentior & audacior. Hyperbolem in deliciis habet, ea rapitur ingenii vi, ac bilis, qua una Poeta dici potest. In declamationibus lucubrandis primam vitæ suæ partem exegit, ex successu aliquo felici versuum, quos in quemdam Paridem pantominum scripserat, ratus est in satirico genere se posse clarescere. Satiris igitur componendis se totum dedit, tamque studiose, ut demum militare munus consecutus fuerit, pœnæ potius quam beneficii loco. Exul enim quodammodo abire jussus est in intimas Ægypti regiones, ubi tædio gravi tabescens diu multumque de fortunæ injuriis, & de virorum Principum tirannide conquestus est. Domitianum, quem vocat *Calvum Neronem*, acriter mordet. Scaligeri judicio princeps est Satiricorum Poetarum, ardet, instat aperte, jugulat. Satiras facere instituit non modo in pessimorum Poetarum multitudinem odio motus, ve-

rum etiam in vitiorum effusionem, quibus tota Urbs cooperiebatur.

Jam vero si spectemus hujusmodi Poetarum ætatem, & præcipue eorumdem mentem, ac materiem, quam in manus sumserunt, plurima ac varia Horatii ingenio velificabantur. Lingua Latina tunc per doctissimos viros exculta ad summum perfectionis fastigium pervenerat. Ipse Philosophiæ ac litteris græcis quinque circiter annos Athenis vacaverat, inde Romam reversus per Virgilium & Varium cum Mæcenate, ac paulo post per Mæcenatem cum Augusto amicitiam junxit. Si hæc & alia plura perpendamus, minus certe mirabimur, hunc Poetam non nisi imbecillos ac mediocres imitatores adhuc habuisse.

Augustus urbis dominus & orbis ceterique Reip. Principes viri blanda contrectatione mulcendi, & inprimis inusitata laude concelebrandi erant. Præterea feroces Romanorum animi per artium commercia mansuefieri debuerant. Hinc publicis negotiis gerendis successit carminum scribendorum colluvies.

Mutavit populus mentem levis, & calet uno
Scribendi studio; pueri, patresque severi
Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant - -
Scribimus indocti doctique poemata passim. E. II. 1, 108. &c.

Sed in novi imperii primordiis opus erat animi maturitate, & mira ingenii dexteritate. His artibus nixus triumphat Horatius; hinc mi-

mira in eo ratio laudandi & vituperandi homines.

Ut de iis, quæ ſibi Poeta in ſcribendo propoſuit, recte judicemus, pernoſcamus oportet ejus ingenium, mores, opiniones, quæ omnia præſtat ex ejus ſcriptis, quam aliunde haurire. Ipſe fatetur, ſe eſſe ſolertem, facilem, voluptatibus deditum, & interdum etiam pluſquam Epicureum; in opinando ſibi non conſtat, multa tradit, quæ dulcem in rebus mediocritatem tuentur, non pauca vero quæ ambitioſis favent.

- - - - - *Nam tutus parvula laudo,*
Quum res deficiunt, ſatis inter vilia fortis;
Verum ubi contingit melius quid & unctius, idem
Vos ſapere, & ſolos ajo bene vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis. E. I. 15, 42. &c.

Modo eo accuratioribus, pluribuſque verſibus utitur, quo certius videtur ipſe ſtatuere, ſe nullos ſcripturum.

Ipſe ego, qui nullos me adfirmo ſcribere verſus,
Invenior Parthis mendacior, & prius orto
Sole vigil calamum, & chartas, & ſcrinia poſco. E. II. 1, 111. &c.

Modo nos hortatur ad quærendam principum virorum ſocietatem, modo ab ea ineunda dehortatur queſtibus ſuis. Ingentibus enim beneficiis cumulatus, & gloria elatus hæc de ſe inquit.

... *Men-*

- - - *Mente minus validus quam corpore toto*
E. I. 8, 7.

Hinc: *levior cortice*. O. III. 19, 22. Beatorum hominum morbo laborabat, nempe bonorum fastidio, quæ prius ipse exoptaverat. verbo, nec prorsus vitiis, nec prorsus virtutibus exaggeratum habebat animum, in neutram partem inclinabat in rebus suscipiendis, susceptas vero quam primum deserere studebat. Suis ipse satiris & epistolis hoc & nihil aliud sibi velle videtur, quum ut eorum benevolentiam sibi conciliet, per quos bene ac beate vivere possit, contemto populi judicio. - - - - - -

- - - - - - *Satis est equitem mihi plaudere* . . .
S. I. 10, 76.

Inter cætera Charitum genera eum maxime commendat, ac a Poetarum vulgo longe secernit Romanæ urbanitatis laus, cujus nomine venit vera ac germana agendi, dicendique ratio, & elegans cultus, non quidem virtus, sed quædam veluti earum rerum coagmentatio, quibus virtus dulcior efficitur, & amabilior animus. Noscant igitur reconditas Horatiani stili opes nostri Critici, qui cum Scaligero Juvenalem Horatio anteferre non dubitant.

In Poeta nostro sive grave, sive hilare scribendi genus secuto nihil unquam vulgare repertum est, nihil enerve. Animi repugnantia in ea arte, quam profitebatur, exercenda compensabatur copia rerum, ac delectu, promta inventione, atque imaginandi æstu. Ejus satiræ videntur antiquam Comœdiam redolere, Persii

ve-

vero Stoicorum porticum, Juvenalis demum theatrum & roſtra. Omnes ingenii nervos contendit Horatius ad ſtabiliendum veriſſimum pulchritudinis judicium, ut & Poetæ moralis, & Critici muneribus viciſſim optime functus eſſe putandus ſit. Ex hac duplici Sparta jam ornata, quam ipſe nactus eſt, conflatur & efficitur quidam veluti codex adeo perfectus utriuſque artis, nempe & bene vivendi, & recte ſcribendi, ut Horatiana opera tanti quodammodo ſint, quanti ceteri ſimul omnes hujuſmodi libri. Verum licet ipſe affirmet, ſe magis philoſophia quam poeſi valere & magis ſocietatis, morumque concentum quam verſuum probet, tamen fuſius, & penitius rem litterariam quam moralem ſcientiam pertractat.

Nimirum ſapere eſt abiectis utile nugis,
Et tempeſtivum pueris concedere ludum,
Ac non verba ſequi fidibus modulanda latinis;
Sed veræ moduloſque modoſque ediſcere vitæ.
E. II. 2, 141. &c.

Ubi agitur de Poetis non illi imponit famæ auctoritas mille annorum diuturnitate firmata, nec eumdem deterret a cenſoria virgula adhibenda. Verum qui apud animum ſuum ſtatuit, ut potentibus viris placeret, didiciſſe debebat, quemadmodum cum vitiis paciſceretur, atque conjuraret amice.

Perſii eſt docere, Juvenalis declamare, & tonare, Horatii vero, qui omnium partium opinionumque moderatus & injuratus ſectator eſt,

est, ludere, jocari, & dumtaxat levibus ridiculi jaculis uti. Noster Poeta monet potius, quam imperet; præcipit conditione aliqua semper posita, & in speciem sibi diffidentis: ut patet ex his versibus:

Disce monendus adhuc, quid censet amiculus, ut si
Cæcus iter monstrare velit: tamen adspice, siquid
Et nos, quod cures, proprium fecisse loquamur.
E. I. 17, 3. &c.

Sæpe vitiosos nominatim profert ad innuendum vitium, modo eos jam in scenam trahit, ut ipsi expressis verbis sibi infamiam inferant. Diceres, nihil unquam certi ab eo peti in scribendo. Res obstetrice tantum occasione aliæ ex aliis gignuntur, primæ a postremis sensim recedunt, ut difficile identidem sit perspicere, quo pacto cohæreant, & unde discedat Oratio. Cum vero venustatis, acerrimique judicii plenissima sint, quæ scribit, semperque nova videantur, optandum esset, ut accuratiori ordine procederent. Hac præsertim arte valet, ut non proprio sed alieno ore pronunciet quæ vult, atque inter cetera, ut non penitus rem totam dicendo expleat, atque absolvat, eo sane consilio, ut possit alias pro lubitu ad eamdem redire. Avaritiam, prodigentiam, ambitionem, præjudicatam de generis nobilitate opinionem, aliaque hujusmodi varia sub imagine formæ spectanda nobis subjicit.

Quum laus & vituperatio ad Naturam Sati-

tiræ pertineant, de utraque dicere juvat. Ægre ſane legeretur Juvenalis, niſi in ſatirici operis curſu egregiæ veteris Romæ deſcriptiones æqua temperatione identidem lenirent atque penſarent triſtium imaginum horrorem, quas ſub Neronibus offerebat Roma recens. Hac duplici comparatione inſtituta conſiderandæ ſunt ſatiræ, & epiſtolæ Horatii. Perſius ad artis adminicula ſæpe adnititur, & prout ſummi boni, ſummique mali afficitur cogitatione. Locupletiorem, auctioremque ſcribendi rationem ſectatur Juvenalis; laudat enim, ut acrius impenſiusque vituperet. In Horatio alia inſuper virtus enitet, nempe is ſæpe vituperationis viam init, ut obliquiori tramite in laudes gradum faciat, tantoque id molitur artificio, ut a reddendæ gratiæ memoria facile & ultro eximat laudatos viros. Hoc poſtremum ſane decus eſt potius artis quam diſciplinæ moralis triumphus. Verum enimvero tam ad vivum reſecanda non ſunt Poetarum opera.

Uſquequaque cautiſſimus, horum quidem principum virorum amicitia, illorum autem fide & patrocinio nixus Horatius ea tantum dicit, quæ diſplicere nequeunt difficili moroſoque populo. Hinc probe intelligimus, Poetæ animum non prorſus commoveri, & nunquam ad ſummum τȣ πάθȣς gradum evehi, & vehementer reformidare maximarum motionum cauſas. Infelicem amicum diviti homini commendaturus id curſim ſubmonet.

Vi-

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest. E. I. 12, 24.

Hoc potius dixeris Philosophicæ ἀπαθείας, quam ardentis studii, germanæque amicitiæ argumentum. Quispiam alius pro amico amicus ex vera optime affecti animi sententia locutus fuisset, sed plerumque oportet, ut, ubi humanitatis causa peroratur coram potentibus, opulentisque viris, animi sensa quodammodo obnubentur, quæ, si nimis ad vivum exprimantur, inopportuna, & ab re penitus aliena videri solent. Suæ igitur utilitati tantum perspiciebat Aristippi assecla, ideoque simulate se Mæcenati, Virgilio, Vario, Lamiæ, aliisque devictissimum prædicabat, & simulata ostendebat dulcissimi amoris in eosdem argumenta. Accipe ejus verba

Atque ipsa utilitas justi prope mater & æqui. S. I. 3, 94.

Sive in laudando exerceat stilum, sive in vituperando, inopinata ratione ac via eo semper tendit, ut vitæ suæ jucunditatem, prosperitatemque confirmet. Revera ita censorium munus obit, ut laudatio inde enascatur, aut saltem ne molesti censuræ ictus in se ipsum retorqueantur. Si quem læva male accipit, dextera blande mulcet. Lucilius est *facetus, emunctæ naris, durus componere versus*. S. I. 4, 78. & de Plauto:

At nostri Proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Non dicam stulte, mirati. E. III. 270. &c.

Per-

Perraro ille alicujus inimicitiam suscipit, quominus eodem tempore in potentis viri gratiam irrepere studeat. Ad rem Persius.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit.
S. I. v. 116. &c.

Non semper quidem magnis nobilium virorum nominibus parcit, sed ut jure quodam suo id agat, eos tantum audet verbis castigare, quorum extinctum est genus, aut quorum adhuc viventium certam stultitiam, & ignominiam quisque cognoscit. Cum Lævinum ex illustri Valerii Poplicolæ familia ortum sugillat, eumdem a nobilium virorum albo expungit, & ignobili eorum turbæ immiscet, quos pariter taxat. Quemadmodum nunquam, nisi consulto, & de industria indignatur, ita mala & vitia imperturbato animo solet arguere. Id demum meditando efficit, ut verissime, & acerrime de artibus liberalibus judicaret, tantaque rationis vi, & rerum experientia polluit, ut certissima & recondita de moribus pronunciaret. Non odii, sed voluptatis suæ causa pessundat mediocres Poetas, eaque in primis mente, ut ex hujusmodi censura omnigenam eruditionis suæ supellectilem patefaciat; nihil aliud sedet ejus animo, imponitque, quam imperatoris aula, & quæ ad aulam proxime accedunt; Satiræ vim omnem omnino pernoscit, eamque velut telum seponit.

Qui me commorit (melius non tangere, clamo)

Fle-

Flebit, & insignis tota cantabitur urbe. S. I. 1, 45. &c.

Eos præterea irridet, qui plus æquo sibi arrogant, in quorum numero se quoque fatetur existere. Contra Stoicos disputantem inducit rudem quempiam & imperitum, qui ex communis tantum sensus vi vultuosorum horum philosophorum severitatem labefactet, & sophismata elidat. Obscura quæque in bono lumine collocat; nihil est tam triste, atque terrificum, quo ipse vel a tranquillitatis sede dimoveri, vel ridiculi salem felle satiræ mutare cogatur. Ne venefici quidem, aliique perditissimi nebulones ejus iram accendunt; mavult in eos eminus dicterium conjicere, quam satiræ telis eosdem cominus confodere, id maxime veritus, ne legentium animos in se habeat offensiores, neve se eo doloris sensu afficiat, qui constanti tranquillæ vitæ instituto repugnet; quam longissime sane diversus a Juvenale, qui sontem undique quærit, urget usque, & jugulat, quique eodem tempore & testis, & accusatoris, & judicis munia explet.

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI

SERMONUM SEU SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

AD MÆCENATEM.

Omnibus maxime vero avaris sortem suam gravem esse.

QUi fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem

Seu

Ut in prima libri primi Ode, sic in hac prima libri primi Satira Mæcenati scribit Poeta de amore, & studio, quo feruntur homines in suam quisque sortem, & artem, quam excolendam susceperunt. Satira vero duo adjicit, quæ hunc amorem, & studium vituperandum objiciunt. Ac primo quidem hic amor solicitus est, & vitiosus, ita ut secum pugnare videatur, & ad invidendum alienæ sorti adducat homines: deinde suapte natura est insatiabilis: Ex duobus hisce malis tanquam fontibus manant nostræ illæ curæ, & querelæ. Poeta totus in eo est, ut ita scite, ac salse ista refellat, ut ii, quos adoritur, irasci, & queri nequeant. Non enim vehementibus, & immodicis dicteriis eos exasperat. Ubi illa audiverunt, ipsimet per se vident, quam ridicule sentiant, & agant, & pudore suffusi suo morbo medentur. Hæc est tutior instituendæ vitæ ratio, qua fit, ut non ex præceptoris ore, sed ex suo quisque intimo animi sensu germanam morum componendorum normam peti arbitretur. Hoc optime intellexit Poeta eo quo præditus erat ingenio perspicaci. Si mentem Poetæ assecutus esset Scaliger, non dixisset, Horatium esse hic jejunæ cujuspiam Poeseos tenuem tentatorem, nec huic Satiræ prætulisset decimam

Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat? laudet diverſa ſequentes?
O fortunati Mercatores! gravis armis
Miles ait, multo jam fractus membra labore,
Contra Mercator, navim jactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur? horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.
Ille datis vadibus, qui rure extractus in Urbem eſt,

So-

cimam Juvenalis. Non ſatis conſtat, quo anno hanc Satiram monumentis litterarum tradiderit, & utrum dedita opera eam ceteris præpoſuerit. Grammatici certe Poetæ opera arbitratu ſuo ordinarunt.

V. 1. Agendi ratio in hominibus eſt veluti ænygma. Adeo diverſi, & contrarii inter ſe excitantur in ſingulorum hominum animis motus, ut dubites, utrum eos ad unam eamdemque perſonam referendos putes. Nunquam forte ſua contenti, momento temporis inhiant, quo eam mutent. Si id adſit, obmuteſcunt, mutare eam amplius nolunt. Quis hujuſmodi animal definiat?

V. 3. In prima Ode loquitur Poeta de cupiditatibus, quæ hominibus imperant, hic vero de ſortibus, & artibus, quas ſinguli profitentur. Præterea hic agitur de levibus iis, brevibuſque faſtidiis, quæ certo vitæ ſtatui minime repugnant.

V. 5. Romani uſque ad annum 46 vel 47. militabant. Ferebant arma ponderoſa, palum, galeam æneam, ſcutum, pila, ocreas, loricam, plus dimidiati menſis cibaria, præterea tanto onere gravati longum iter quandoque carpere debebant. Tunc miles & tanto onere ferendo, & laboribus bellicis exanthlandis laſſus exclamabat: *Fortunati mercatores!* ſed ubi quieverit, jam ſtatim malorum præteritorum oblitus ſuam ſortem cum alterius commutare amplius nolit.

V. 7. *Quid* &c. ait mercator.

V. 10. Veteres juriſconſulti ſolebant primo mane domus januam aperire, eoſque audire, qui conſultum veniebant.

Solos felices viventes clamat in Urbe.
Cetera de genere hoc, (adeo sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi,
Quo rem deducam. Si quis Deus, en ego, dicat,
Jam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu, consultus modo, rusticus, hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus: eja,
Quid? statis? nolint. atqui licet esse beatis.
Quid causæ est, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet? neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Prætereo, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? Et pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

Ille

V. 11. Vades sunt sponsores alterius in re capitali. Rusticus, qui in urbem venire judicio adfuturus debebat, in itinere faciendo tempus terebat. Huic molestiæ, & sumtibus pepercisset, si in urbe, non ruri sedem posuisset. Præterea ei opus erat ab colendis agris abstinere maximo cum damno. His de causis agricola urbem incolere optabat.

V. 14. Valde lassare.

V. 18. Hoc desumtum est a partibus Actoris.

V. 19. Felicitas in eorum manibus est, ut putant.

V. 23. Missam facit causam, cur Jupiter iis non irascatur. Verum eam tacite innuit, similitudine instituta Præceptorum, qui pueros crustulis alliciunt ad prima litterarum rudimenta edifcenda. Dii nempe idcirco stultis hominum votis aures præbent, quod identidem dona ab iis accipiunt; quæ sedandæ iræ vim habent. hic locus sale acri, mordacique insignis.

V. 25. *Crustula* sunt exiguæ placentæ, quæ ex farina, lacte, caseo, oleo, melle constabant.

Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Se se ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Ajunt, quum sibi sint congesta cibaria. Sicut
Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis sapiens, quum te neque fervidus æstus
Demoveat lucro, nec hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter:
Quid juvat immensum te argenti pondus, & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Av. Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
Hor. At ni id fit, quid habet pulcri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,

Non

V. 36. Allatæ rationi respondet, eosque refellit eodem formicæ exemplo, quod ipsi protulerunt. Verum est, ait, formica quidem in hiemem condit grana terra, sed iis contenta quiete vivit, nec exit; vos autem contra facitis. pulcher est hic versus, & affabre factus. res ipsa apta per se ad Poesim poscebat, ut poetice & nobiliter efferretur.

V. 40. Omnia superas impedimenta, ne alter tibi antecedat divitiis.

V. 43. Putas divitias tuas ad nihilum redigi, si iis utaris.

V. 44. Nisi iis igitur utaris, ecquam speciem inesse credis acervo auri & argenti?

V. 45. Subauditur *modiorum*. modius continebat 20 circiter libras pondo tritici.

Non tuus hoc capiat venter plus, ac meus, ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte trahas humero, nihilo plus accipias quam
Qui nil portarit. vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? *Av.* At suave est de magno tollere acervo.
Hor. Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho; ac dicas: magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere. eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quantum est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? jubeas, miserum esse libenter;

V. 46. *Hoc*, i. ex hoc.
V. 47. *Reticulum*, i. panarium, saccum in retis modum.
V. 48. *Accipias*, i. hinc tibi habebis.
V. 51. *At suave est*: objicit avarus. nota puerilem voluptatem.
V. 52. Occurrit Poeta.
V. 53. *Cumeris*, i. canistris vimineis vel junceis.
V. 58. Allegorice.
V. 62. Avarus ait, divitias necessarias esse ad comparandam hominum existimationem.
V. 63. Hujusmodi avarum tam absurda sentientem, tanquam insanabili morbo laborantem deserit. Medicinam enim

Quatenus hic facit, ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus ab labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis;
Nescis quo valeat nummus? quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
Queis humana sibi doleat Natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
Av. At si condoluit tentatum frigore corpus
Aut alius lecto casus te adfixit, habes, qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac natis reddat, carisque propinquis.
Hor. Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si

nim ille respuit, & miser esse vult. Romanorum opinio fuit legibus etiam confirmata, nominis famam, & laudem maximam ex divitiis effici. Dives in sanctissimum ordinem cooptabatur, creabatur Eques, & Senator, & donabatur jure de vita & bonis privatorum judicium terendi. ex hujusmodi judicibus quid æqui & justi exspectari poterat?

V. 64. Fortasse Timon Misanthropus.

V. 71. Præstans imago.

V. 74. Sexta pars congii, 12 cyathos continebat.

V. 80. Avarus ait, divitias valere plurimum ad benevolentiam consanguineorum, & amicorum conciliandam diviti. *tentatum frigore*, i. frigote febrili correptum.

V. 84. Retorquet Poeta in avarum argumentum.

Si nemo præstet, quem non merearis amorem?
An, si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, servareque amicos,
Infelix operam perdas: ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis?
Denique sit finis quærendi, quumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus, & finire laborem
Incipias, parto, quod avebas: ne facias, quod
Ummidius, qui tam, (non longa est fabula) dives,
Ut metiretur nummos: ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret, ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndariarum.
Av. Quid mi igitur suades? ut vivam Mænius? ac sic,

V. 88. Natura nullo labore tuo tibi dedit amicos tuos consanguineos, sed tuum est, eos tibi devincire, & servare. ne putes, tuas curas irritas fore in hac re præstanda, aliter esses omnium infelicissimus. Alii vero sic locum explicant. si quidem benevolentiam tibi conciliare studes tuorum cognatorum, quos nullo tuo labore tibi dedit Natura, oleum & operam perdis, ut ille, qui &c. Melius Rosellus: Cognatio fiebat per adoptionem, uti per naturam. Qui cupiebat quempiam adoptari, debebat multa pati, & ea exequi, quę S. 5. l. 2. exponuntur. Sermo igitur est de iis Cognatis, quos nullo nostro labore natura dat; & ita sale perfricantur ii, qui ab aliis adoptari studebant.

V. 92. *Quumque*, i. & quanto.

V. 94. Quum tibi comparaveris, quod optaveras.

V. 100. Obtruncavit caput. Tyndariæ sunt Helena, & Clytemnestra, quæ suos conjuges occiderunt, illa quidem Deiphobum, altera Agamemnonem.

V. 101. Rogat avarus Horatium quid sibi faciendum sit. sæpe usuvenit in disputando, ut qui adversarii rationibus se victum sentit, eumdem oppositi vitii propugnatorem esse affirmet.

Ut Nomentanus? *Hor.* pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere? non ego avarum
Quum veto te fieri, vappam jubeo, ac nebulonem.
Est inter Tanaim quiddam, socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. nemon' ut avarus
Se probet, ac potius laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat? neque se meliori pauperiorum
Turbæ comparet? hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat.
Ut cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vicentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, & exacto contentus tempore, vita
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus:
Jam satis est: ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes; verbum non amplius addo.

V. 102. *Pergis*. Poeta respondet.

V. 104. Nebulo est, qui latebras quærit, qui vivit in tabernis, qui se dat crapulæ.

V. 109. Vivat contentus sorte sua.

V. 111. Neque spectet alios, qui pauperiores sunt, ac meliores.

V. 113. Locupletior obstat, quominus alter ditior evadat.

V. 114. Pulcherrima est hæc comparatio, quæ ambitionem hominum denotat. In cursu quadrigarum præmium dabatur primis: in vita civili ditissimi quique non sunt felicissimi; *ungula*. pars pro toto, i. equus.

V. 120. Scrinia sunt arcæ librariæ.

SATIRA II.

Improbos, dum vitia quædam declinant, in contraria incidere.

AMbubajarum Collegia, Pharmacopolæ,
Mendici, Mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mœſtum, ac ſolicitum eſt cantoris morte Tigelli.
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus eſſe
Dicatur, metuens inopi dare nolit amico,
Frigus quo, duramque famem propellere poſſit.
Hunc ſi perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingrata ſtringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coemens obſonia nummis?
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Reſpondet: laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet, ac nebulonis,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis,
Quinas hic capiti mercedes execat, atque,

Medium in rebus ſpectandum eſt. Stulti, & vitioſi cupiditatibus ſuis tranſverſi acti ab eo diſtant. Alterum extremum ſe vitare nitentes in alterum oppoſitum prolabuntur. Id probat Poeta luculentiſſimis exemplis.

V. 1. Ambubajæ erant feminæ triobolares, quæ tibiis ſonabant. Eſt vox Syriaca. Syri hanc artem callebant.

V. 2. *Mendici*. (V. Ind. *Sacerdotes*) paucis verbis Orationem funebrem abſolvit Poeta. iſte, ait, omnia bona ſua nebulonibus elargitus eſt, & ab iis tantum deſideratur.

V. 4. Si legere mavis *annis*, ſenſus erit: gravis factus annis, per quos militat.

V. 8. Minutatim carpat, imminuat. *ingrata*, i. damnoſa.

V. 12. Fortaſſe eſt idem, de quo Catullus in Epig. Sed textus in Catullo corruptus eſt. Alii legunt *Fuſitius*, alii *Suffetius*, alii *Suffitius*.

V. 13. Hoc loco ſine cauſa repetitur iſte verſus, qui eſt in Arte Poetica 421. ait Sanado.

V. 14. Caput eſt ſumma pecuniæ, quæ fœnori datur;

Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
Nomina sectatur, modo sumta veste virili,
Sub patribus duris, tyronum: Maxime, quis non,
Jupiter, exclamat, simul atque audivit? at in se
Pro quęstu sumtum facit. Hic, vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus. ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic.
Si quis nunc quærat, quo res hæc pertinet? Illuc,
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
In-

merces autem fœnus, quod ex capite percipitur. *execare* est deducere fœnus ex capite in antecessum. V. gr. Fufidius centum nummos ad unum tantum mensem dabat; en *caput*; peracto mense ei debebantur 105 nummi. Sed ut certiorem sibi redderet usuram, in antecessum subducebat capiti mercedem, & dabat tantummodo 95 nummos, & insuper debitor jubebatur suum nomen in libro Argentarii scribere, scriptoque fidem suam obligare, nempe centum nummos se soluturum peracto mense. ita spatio 20 mensium fœnus æquabatur capiti. hæc erat usura maxima. usitata erat centesima, qua 100 mensibus elapsis caput duplex fiebat. Hinc *nomina*, *æs alienum*.

V. 15. Urget fœnerator perditissimos homines.

V. 16. Legibus & S. C. cavebatur, ne daretur fœnori pecunia filiis familias minus quam 25 annos natis, qui hic vocantur tyrones. hinc fœneratores pecunia periclitantes ingens fœnus exigebant.

V. 18. Dicet aliquis; hic fœnerator pares lucro sumtus facit.

V. 19. Objectionem amolitur.

V. 20. *Quam sibi* &c. acute dictum.

V. 21. Heavtontimorumenon Terentii.

V. 24. Propositio.

V. 25. Vestis talaris mollitiæ index erat, succincta vero expediti animi. Hoc vitium tribui solebat Mæcenati, qui, ut ait Seneca, tunicis solutis in urbe semper incedebat: Ep. 119., &, teste Vellejo, otio & mollitie pene ultra feminam fluebat. eum Augustus in Ep. vocavit Malagma Mœcharum. Non est tamen credendum, nomine Malthini voluisse Poetam Mæcenatem significare, ut ludum eum fa-
ce-

Inguen ad obscœnum subductis usque facetus.
Pastillos Rufilus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. sunt, qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste.
Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo quum exiret fornice, macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.
Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum est descendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquis,
Sic me, mirator Cunni Cupiennius albi.
Audire est operæ pretium, procedere recte
Qui Mœchis non vultis, ut omni parte laborent.
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,

ceret. Malthinus est nomen viri Romani. Quintil. lib. 11. c. 4. ait : „ cui laticlavi jus non erit, ita cingatur, ut „ tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus „ ad medios poplites usque perveniant ; nam infra mulie- „ rum est, supra centurionum. „ Toga cingebatur dumta- „ xat belli ; pars ejus prior teste Quintil. mediis cruribus „ optime terminabatur, posterior eadem portione altius, „ quam cinctura. „ *cinctura* est tunica cincta.

V. 27. Unguenta odorifera. Hic versus pupugit multos : sive quod illi duo viri gratiosi essent apud potentes, sive quod dignitate clarescerent. hinc in invidiam multorum venit Poeta.

V. 29. Instita erat tenuis fasciola, quæ stolæ imam partem ambiebat. Ea utebantur honestæ matronæ.

V. 31. Insignis.

V. 32. Cato. Ille cum videret hominem ex domo meretricia discedentem, laudavit, & hortatus est, ut idem semper faceret; sed cum deinde animadverteret, eumdem illic morari, dixit ; Adolescens, ego te laudavi, quod interdum huc venires, non quod hic habitares.

V. 34. Lupanaria erant loca ima.

V. 35. Violare.

V. 36. Matronæ stola alba indutæ.

V. 37. Subauditur *rem*, *crimen*. hic est versus Ennii in lib. 1. Annalium.

V. 38. Quanta amaritie eorum voluptas misceatur.

V. 39. Cum ab adulteriis avocari homines non possunt

Atque hæc rara, cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæsus fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferrum. jure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda:
Libertinarum dico, Sallustius in quas

Non

criminis fœditate, deterrendi sunt metu supplicii. Injuria nonnulli Horatium objurgant, perinde ac si ab hoc peccato homines dehortaretur, non quod per se fugiendum sit, sed dumtaxat, quod periculosum. Nemo ignorat, quantopere Poeta illud detestatus fuerit. deinde eo ferme modo ille rem pertractat, quo Salomon in suis proverbiis. *cadat*, i. eveniat.

V. 41. Ait Valerius Max. *Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit. C. Mænius* (vel *Memmius*) L. *Octavium molliter* (vel *similiter*) *deprehensum nervis contudit. Carbo Avienus a Vibieno, item Pontius a P. Cernio deprehensi castrati sunt*. quare in potestate erat Mariti, qui adulterum deprehendebat, eum arbitratu suo male mulcare.

V. 43. Ubique, & omni fere ætate inventi sunt mariti, qui pecunia accepta pudorem suum vendebant, culpamque adulteris remittebant.

V. 44. Præciderunt, pædicarunt. accidit sæpe, ut mariti permitterent suis mancipiis deprehensos suarum uxorum amasios. *Cn. etiam Furium* (vel *Purium*) ait Val. Max. *Brochum qui deprehendit, & familiæ stuprandum objecit*. Veteres latini vocabant lignum *calam*. calones erant servi, qui cædebant, ferebant ligna.

V. 46. Omnes dicebant. hanc pœnam illi merentur. Torrentius putat, hunc esse C. Sulpitium Galbam, qui se dormire simulabat, dum Mæcenas Terentiam osculabatur.

V. 47. Prima classis Matronarum, secunda Libertarum, tertia Meretricum.

V. 48. Hæc objiciunt illi, quos Poeta alloquitur. Horatio sentienti, tutiorem esse hominem apud libertas, respondent ita: Sallustius, qui libertas tantum amat, est minus stultus, quam qui nuptas?

Non minus insanit, quam qui mœchatur. At hic, si
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus, atque benignus
Esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno,
Dedecorique foret: verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat, hoc laudat: Matronam nullam ego tango;
Ut quondam Marsæus amator Originis, ille
Qui patrium Mimæ donat fundumque, laremque.
Nil fuerit mi (inquit) cum uxoribus unquam alienis.
Verum est cum Mimis, est cum Meretricibus: unde
Fama malum gravius, quam res trahit: an tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? bonam disperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque. Quid
inter-

Est,

V. 49. *At hic si* &c. diluit objectionem, & ostendit, Sallustium vitio suo stultum esse, ut adulteri sunt; idque nihil facere contra libertarum amorem; nihil esse, quo abuti non possimus. Res sunt bona, ratio, sensus communis.

V. 54. Se jactat Sallustius quod adulter non sit. Hoc vitio fere tenentur homines, quum a maximis vitiis caveant, ad turpiorem, damnosioremque nequitiæ gradum mediocrla evehunt, quam alii maxima, in quæ se nunquam lapsos esse gloriantur.

V. 55. Meretricis mimæ.

V. 57. Inquit Marsæus.

V. 58. Subjungit Horatius.

V. 59. *An tibi* &c. tibi satis est matronas non tangere, sed evitare debes; quod nocere tibi potest, & per se malum est, ut jacturam famæ, rei, &c. debes evitare etiam alterum extremum, i. amorem libertarum.

V. 62. Sive nuptam, sive libertam, sive meretricem deperias. *quid interest*. ex personarum varietate non fiunt diversa vitia. Ea sunt æqualia, cum summa sunt. Nil interest, utrum amore nuptæ, an libertæ, aut meretricis insanias. Ignominia & damnum æqualia sunt. hinc colligi potest, hanc satiram scriptam fuisse ante legem Juliam de adulteriis, & impudicitià. Quomodo enim Poeta ita locutus fuerit, postquam Augustus pœnas tam severas constituerit in adulteros?

Eſt, in Matrona, ancilla, peccesve togata?
Villius in Fauſta Sullæ gener (hoc miser uno
Nomine deceptus) pœnas dedit uſque ſuperque
Quam ſatis eſt, pugnis cæſus, ferroque petitus,
Excluſus fore, quum Longarenus foret intus.
Huic ſi mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret hæc animus: Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum depoſco conſule cunnum,
Velatumque ſtola, mea quum conferbuit ira?
Quid reſponderet? magno patre nata puella eſt.
At quanto meliora monet, pugnantiaque iſtis
Dives opis natura ſuæ? tu ſi modo recte
Diſpenſare velis, ac non fugienda petendis
Immiſcere, tuo vitio, rerumne labores,
Nil referre putas? quare, ne pœniteat te,
Deſine Matronas ſectarier. Unde laboris
Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus.

Nec

V. 63. Meretrices togam induebant. toga erat eis probroſa, quod togæ hominum ſimilis erat.

V. 69. *Animus*, i. cupiditas, ſpiritus.

V. 70. Magnificus verſus ſpondæorum gravitate. Sulla fuerat conſul, & dictator.

V. 71. Cum intumeſco pene.

V. 72. Puella, quam amo, eſt nata patre illuſtri.

V. 74. *Opis*, i. formæ, faciei, corporis. Natura ex ſe dives eſt, ideoque nihil aliunde mutuatur. Naturæ divitiæ ſunt forma, facies pulchra, corpus ſibi aptum; dignitates vero ſunt bona fortunæ, quæ natura non petit, & ſibi oneri eſſe ducit. *diſpenſare*, i. ſi recte uti velis rebus, quibus indiges, nec permiſcere quærenda fugiendis.

V. 76. Putaſne nihil differre inter malum verum, & malum τῆς φαντασίας? qui alia petit præter ea, quibus indiget, aut vanitate ductus, aut inconſulta agendi ratione, laborat vitio ſuo. Sed cui res neceſſariæ deſunt, ille vitio rerum laborat. cauſas cupiditatum noſtrarum ponderare debemus, ut ſciamus, utrum a neceſſitate enaſcantur, an ab inexpleto appetitu, & præpoſtera animi conſuetudine.

V. 79. Quam voluptatem percipere ex amore matronæ.

Nec magis huic niveos inter, viridesque lapillos,
Sit licet hoc, Cerinte, tuæ, tenerum est femur, aut crus
Rectius; atque etiam melius persæpe togatæ.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat: aperte
Quod venale habet, ostendit: nec, si quid honesti est,
Jactat, habetque palam; quærit quo turpia celet.
Regibus hic mos est, ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt; ne si facies, ut sæpe, decora
Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem,
Quod pulchræ clunes, breve quod caput, ardua cervix,
Hoc illi apte. Næ tu, corporis optima Lyncei
Contemplans oculis; Hypsæa cæcior, illa

Quæ

V. 80. *Huic*, i. matronæ. *virides lapillos*, i. smaragdos.

V. 81. Quamvis tua Amica, Cerinte, sit dives, & pulchra. si vero legas *tuum* sensus erit: quamvis hic sit tuus morbus, miser Cerinte, qui amas matronas, quæ ferunt uniones, & adamantes. multi cum Bentlejo ita explicant. femur matronæ smaragdis ornatæ non est mollius tuo.

V. 85. *Honesti*, i. pulchri.

V. 86. Ait, meretrices, se tales vendere, quales sunt, neque artibus uti, quibus matronæ illustres. repetendum est igitur *nec* versus præcedentis.

V. 87. *Regibus*, i. divitibus. Dacierius legit *apertos*, & ita explicat. cum divites emunt equos, eos apertos, & nudatos inspicere volunt, ne decipiantur; non speciem tantum mirari, sed videre etiam volunt, an pedes sint recti &c. jure hoc faciunt; bonum enim & malum cognoscendum est. Næ tu es stultus, qui bona corporis feminei oculis Lyncei intueris, vitia autem cæcus instar Hypsææ.

V. 89. Superinjectum equis tegmen nil impedit, quominus hęc tria cernantur, caput, clunes, pedes. tria hęc nudantur in equo. latę clunes, caput exiguum, collum in arcus modum erectum.

V. 91. Imitare illos, eadem facias, si sanus es, cum mercem emere vis, ne incuriose rem agas. legendum igitur *opertos*. sensus est. videat *opertos*, ne facies nuda cum decora sit, vitia pedum, capitis, clunium splendore suo quodammodo obnubat, & ita emtorem in fraudem inducat. Alioquin si legas *apertos*, pugnaret sententia secum.

Quæ mala sunt, spectas. o crus, o brachia! verum
Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longa est.
Matronæ præter faciem, nil cernere possis,
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata (nam te
Hoc facit insanum) multæ tibi tum officient res;
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola demissa, & circumdata palla;
Plurima quæ invideant pure apparere tibi rem.
Altera nil obstat. Cois tibi pene videre est
Ut nudam: ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus: an tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier ante,
Quam mercem ostendi? leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,
Cantat, & adponit, meus est amor huic similis: nam
Trans-

V. 94. *Depygis*, quę depressum anum habet.

Ibid. Acro ait : *deforme est in feminis furcam habere latere majorem*. Id accidit, cum femora sunt longiora, quam latera.

V. 97. *Vallo*, i. vestibus. *circumdata* pluraliter.

V. 98. *Insanum*, i. amore.

V. 99. Matronæ nobiles prodibant in publicum lectica clausæ. Ciniflones sunt servi cubiculares, quorum munus erat, crispare calamistris Dominæ crines, calefactis in vase fictili cineribus calidis pleno.

Ibid. Parasitæ victum sibi quærebant apud matronas adulando earum formæ.

V. 100. Tunica virilis suberat togæ, & stola Matronarum pallæ.

V. 101. *Plurima*, i. plurimæ res. *rem*, i. corpus mulieris.

V. 102. *Cois*, i. vestibus. textili vento induta est, eam ut nudam videre possis.

V. 105. Inserit summatim huic loco Epigramma Callimachi, quod Romæ canebatur. fingit Cerintum inter Matronas illud canere.

V. 108. *Adponit*, i. pergit canere. en epigramma :
Ὡγρευτὴς, ἐπικυδὲς, ἐν ὄρεσι πάντα λαγωὸν
Διφᾷ, καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος.

Σπί-

Transvolat in medio posita, & fugientia captat.
Hiscene versiculis speras tibi posse labores,
Atque æstus, curasque graves e pectore tolli?
Nonne cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
Quærere plus prodest, & inane abscindere soldo?
Num, tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriens fastidis omnia, præter
Pavonem, Rhombumque? tument tibi quum inguina, num, si

An-

Στίβῃ, καὶ νιφέτῳ κεχρύμενος, ἢν δέτις εἴπῃ.
Τῆ, τοδε βέβληται θηρίον, οὐκ ἔλαβεν,
Χ'ὡμὸς ἔρως ποιός δε τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν
Οἶδε, τὰδ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται.
Venator, Epicides, in montibus omnem Leporem
Quærit, & omnis Cervæ vestigia.
Assuetus pruinis, & nivibus, si quis ei dixerit,
Accipe, en saucia est fera, non accipiat;
Talis est amor meus; quæ fugiunt, persequi
Novit, quæ autem in medio posita sunt, prætervolat.

V. 110. Huic homini, ejusque similibus, qui morbis animi blandiuntur, non medentur, iisque rationem obtendunt, respondet Horatius, & ostendit, hanc esse malam consuetudinem agendi, & videndum esse, utrum natura recte se habeat, & exempla possint levare mala, quæ a pravis animi motibus derivantur.

V. 112. Ut cognoscamus limites, quos natura nostris cupiditatibus posuit, necesse est, secernamus ea, quæ illa sibi negari facile patitur, ab iis, quæ necessario postulat.

V. 115. Seneca ait Ep. 120. „ Egregie itaque Horatius „ negat ad sitim pertinere, quo poculo aqua, aut quam „ eleganti manu ministretur. dixerat antea: „ illa hoc unum jubet sitim extingui.' utrum sit aureum poculum, „ an cristallinum, an vitreum, an Tiburtinus calix, an „ manu concava, nihil refert. „

V. 117. Pavo in deliciis fuit apud Romanos in cœnis, postquam Orator Hortensius creatus Augur in magnifico convivio illum exhibuit epulandum. M. Aufidius Lurco pavonum gregem aluit, qui 100000 sestertiorum minorum ei reddebat mercedum annuarum. Varro asserit, gregem

cen-

Ancilla, aut verna eſt præſto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo Venerem, facilemque: 120
Illam, poſt paulo; ſed pluris; ſi exierit vir:
Gallis, hanc, Philodemus ait, ſibi, quæ neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, quum eſt juſſa venire.
Candida, rectaque ſit: munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
Hæc ubi ſuppoſuit dextro corpus mihi lævum, 126
Ilia, & Egeria eſt: do nomen quodlibet illi:
Nec metuo, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis: undique magno
Pul-

centum pavonum proveniſſe domino quingenta ſeſtertia, i. 40000 ſeſtertiorum minorum annui vectigalis. lib. 3. c. 6. de re ruſtica. Rhombus maxime a Romanis conquirebatur, optimus Ravenna petebatur.

V. 117. Ex hoc quoque loco colligit Dacierius hanc Satiram ſcriptam fuiſſe ante legem Juliam.

V. 120. Quæ facile emi, poſſideri, parari poteſt.

V. 121. Illam, quæ has nectit difficultates, & ait: recedes ad me poſt paulo; ſi plus mihi dabis pecuniæ; ſi vir domo exierit; illam, inquam, ait Philodemus, ſibi habeant Galli caſtrati ſacerdotes Cibeles. Sanado & alii legunt *ſed pluris, ſi exierit vir*, quaſi ſit una tantum conditio, ita ut dicat mulier: ſed plus pecuniæ mihi dabis abſente Marito.

V. 122. Eſt ne ille Philodemus Poeta Epicureus, qui Ciceronis ætate vivebat, & cujus extant aliqua Epig. in Anthologia? Heinſius opinatur Horatium hos tres verſus ex ejus operibus depromſiſſe. Dacierius huic ſententiæ refragatur, quia in quodam Epig. Philodemus ait, ſe negligere, quæ in promtu ſunt, & ſectari, quæ fugiunt; in quo imitatus eſt Callimachi Epigramma ſuperius allatum. Si ita res habet, hic Philodemus valde differt ab eo, de quo loquitur Horatius. * cum hæc vox *Philodemus* ſonet amatorem, cultorem populi, fortaſſe indicat L. Gellium Poplicolam M. Antonii amicum, ſtrenuum Ducem, & Oratorem inſignem qui fuit conſul anno 718. *

V. 123. *Stet*, hinc poſtribulum.

Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier: miseram se conscia clamet;
Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pygæ, aut denique fama.
Deprendi miserum est. Fabio vel judice vincam.

V. 130. Valde pallida.
V. 131. Ancilla conscia facti.
V. 132. Hæc ancilla timet, ne sibi frangantur crura fustibus. *Deprensa* uxor timeat, ne dote privetur; ego vero, ne gravi supplicio puniar.
V. 133. Discincta tunica ambulare, probrosum erat apud Romanos. Hinc Asinius Pollio in Ep. ad Cic. ait de L. Balbo Quæstore apud Gades, homine impudentissimo: *cum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum rejectis inambularet.*
V. 134. Tò *Pygæ* refertur ad τὸ *hunc perminxerunt calones.*

SATIRA III.

In Amicorum vitiis connivendum, neque peccata omnia in scelerum numero ponenda.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos,

Ut

Multa quidem præclare Zeno, nonnulla tamen ita præpostera instituit, ut virtutem ipsam sylvestrem, ac ridiculam effecerit, ac dedecorarit. Hoc inter cætera stultissime docuit, nempe omnia peccata esse paria: cumque ille nullas existere leves culpas affirmaret, nullam veniam eis dandam esse dicebat, imo omnes eadem pœna puniendas. Horatius hujusmodi sententiam in hac Satira refellit, ostendens, culpas etiam leves existere, & inter eas, quæ venia indignæ sunt, aliquas quoque esse, in quas minus severe animadvertendum sit, quam in alias. Istiusmodi argumentum sanæ Philosophiæ institutis abundat, jocisque liberalibus affluit.

V. 1. Musicis addi quoque possunt Poetæ, qui tamen excusandi sunt, quod τῆς φαντασίας æstu vel inviti quandoque abripiuntur.

Ut nunquam inducant animum cantare rogati:
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
Quidquam proficeret: si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala iteraret: io Bacche, modo summa
Voce, modo hac resonat chordis quæ quatuor ima:
Nil

V. 5. Octavius fuit olim adoptivus filius Julii Cæsaris. hinc se vocari jussit Julium Cæsarem Octavianum, cum antea vocaretur C. Octavius.

V. 7. Cantabat Hymnum notum, qui ita incipiebat, *Io Bacche*. hunc locum secus ac oportet accepit Dacierius, fortasse quia tetrachordi proprietates ignorabat: ita ille fermo vertit verba Poetæ. Si ita ferebat ejus animus, a principio convivii usque ad finem nunquam cessavisset dicere *io Bacche*! modo acutissimam vocem, modo gravissimam emittens, & aptans sono sui Tetrachordi. Hactenus ille. Verum *τὸ vox apud* Poetam significat tonum unius ex quatuor chordis Tetrachordi. Præfiniuntur duo toni duabus chordis oppositis illius instrumenti, quarum una vocatur *summa*, altera *ima*, non quoad sonum gravem primæ, & acutum alterius, sed quoad locum celsum vel imum, quem occupabant in Tetrachordo. Vide instrumentum.

TETRACHORDI FIGURA.

Hypate	summa
Parypate	subsumma
Paranete	pene ima
Nete	ima.

Horatius *τῷ summa* indicare voluit tonum gravem, qualem ferebat chorda superior, idest Hypate; & *τῷ ima* tonum acutum quem reddebat Chorda *Nete*. Præterea Latini *τῷ voce summa* non intelligunt vocem acutam, nec *τῷ voce ima* vocem gravem. Latine *acutum* est *il soprano*, Itali dicunt, & *Grave il basso*. Ergo locus ita intelligendus. modo illo tono, quem reddit in Tetrachordo inter quatuor Chordas illa, quæ superior est, quoad locum, quæque tonum gravem efficit, quoad sonum; & modo illo tono, quem reddit in Tetrachordo inter quatuor chordas ea, quæ infima est, quoad locum, quæque effert tonum acutum, quoad sonum.

Nil æquale homini fuit illi, sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem, persæpe velut qui
Junonis sacra ferret: habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo, sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri, & toga quæ defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis: noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat: nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: quid tu,
Nulla ne habes vitia? immo alia, & fortassé minora,
Mænius absentem Novium quum carperet, Heus tu,

V. 9. Ordo est: sæpe currebat, velut qui hostem fugiens currit.

V. 10. Canephoræ Atticæ lentissimum gradum ferebant capite gestantes canistros plenos rebus sacris ad aram Junonis.

V. 11. * Hos versus citat Seneca ep. 120, ubi illa scite.
,, Multi sunt tales, qualem hunc (Tigellium Sardum)
,, describit Horatius, nunquam eundem, nec similem qui-
,, dem sibi. adeo in diversum aberrat. Multos dixi, prope
,, est, ut omnes sint. Nemo non quotidie & consilium mu-
,, tat, & votum, modo uxorem vult habere, modo ami-
,, cam. modo regnare vult; modo id agit, ne quis sit of-
,, ficiosior servus. modo dilatat se usque ad invidiam, mo-
,, do subsidit, & contrahitur infra humilitatem vere jacen-
,, tium: nunc pecuniam spargit, nunc rapit. Sic maxime
,, arguitur animus imprudens: alius prodit atque alius: &
,, (quo turpius nihil judico) impar sibi est. Magnam rem
,, puta, unum hominem agere. Præter sapientem autem
,, nemo unum agit: cæteri multiformes sumus. modo fru-
,, gi tibi videbimur, & graves, modo prodigi, & avari. mu-
,, tamus subinde personam, & contrariam ei sumimus,
,, quam exuimus. ,, *

V. 13. Mensæ tripedes erant vulgares. Divites monopodia adhibebant.

V. 15. Sestertiorum minorum.

V. 20. Sed diversa sunt.

(Quidam ait) ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mi ignosco, Mænius inquit:
Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari;
Cum tua prætereas oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus & illi.
Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum: rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret; at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc prævertamur, amatorem quod amicæ

Tur-

V. 22. Perinde ac si ignotus nobis esses.

V. 25. Conniveas in vitiis tuis. *male*, i. valde *tua* refertur ad *vitia*.

V. 25. Lego *prætereas* cum Sanadone, licet omnes MSS. Codices habeant *pervideas*. Dacierius per figuram Oxymaron putat dictum τὸ *pervideas*, Rosellus pro τῷ videas superficie tenus. Sed neuter mihi hæc obtrudet. * .

V. 29. Dacierius putat cum Acrone hic describi Virgilii ingenium; Bentlejus vero Horatii ipsius; Sanado hæc a Poeta conficta, quæ tamen aliquod vestigium Virgiliani, & sui ingenii ostenderent.

V. 31. Τὸ *male* conjungitur cum τῷ *hæret*.

V. 38. Alia via brevior est, vide &c. Ille prævertitur, qui alteri præit carpens iter brevius. Si horteris alios, ut se noscant funditus, ut causam suorum vitiorum indagent, ut secernant quidquid a Natura, vel consuetudine, vel ingenio, vel educatione proficiscitur, eos longum iter suscipere juberes. brevius & facilius est in promptu, aliorum exemplis uti, & agere ex rationis vi, quidquid alii ex vitiorum.

Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnes.
Vellem in amicitia sic erraremus, & isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Appellat pætum pater, & pullum, male parvus
Si cui filius est: ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc varum, distortis cruribus: illum
Balbutit Scaurum, talis fultum male pravis.
Parcius hic vivit, frugi dicatur: ineptus,
Et jactantior hic paulo est; concinnus amicis
Postulat ut videatur. at est truculentior, atque
Plus æquo liber; simplex, fortisque habeatur.
Caldior est? acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res & jungit, junctos & servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit multum demissus homo: illi
Tardo cognomen pingui damus. hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum?

V. 40. Polypus est carnis tuber naso adhærens. nonnulli ajunt Hagnem fuisse meretricem fœdissimi animi, quam nobilis adolescens male emunctis naribus delectabatur odorari.

V. 43. Aliam viam exhibet imitandi scilicet parentes, qui blandis verbis suorum filiorum vitia imminuunt.

V. 44. Strabo est, qui oculos nimium distortos habet; Pætus vero, qui leviter declinatos.

V. 47. Aliqui putant, hunc Sisyphum esse filium M. Antonii, bipedalem hominem, sed ingenii perspicacis. *Varus* est, qui suras aliquantum extrorsum intortas habet.

V. 48. Infantili voce usus blanditer vocat scaurum, i. crassioris tali puerum, qui inflexo talo nixus ambulat.

V. 55. Calumniando efficimus, ut pro vitiis habeantur.

V. 56. Utimur familiaritate hominis probi, & modesti? ille perhibetur esse homo stupidus, & obscurus.

V. 58. Opponit *tardus & pinguis* τῷ *probus & demissus*.

(Cum genus hoc inter vitæ versemur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina) pro bene sano,
Ac non incauto, fictum, astutumque vocamus.
Simplicior quis & est (qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi Mæcenas) ut forte legentem,
Aut tacitum adpellat quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus: Eheu!
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur . Amicus dulcis , ut æquum est ,
Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
(Si modo plura mihi bona sunt) inclinet ; amari
Si volet, hac lege in trutina ponetur eadem,
Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius; æquum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt stultis hærentia: cur non
Ponderibus, modulisque suis ratio utitur? ac res,
Ut quæque est, ita suppliciis delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus,
Se-

V. 61. Criminationes, malevolentia. *sano*, i. sapienti.

V. 63. Ille, qui minime attentus ad te accedet, te interpellabit legentem ea, quæ te delectant, aut in altissima rerum contemplatione versantem. ut ego sæpe libenter, i. simpliciter, familiariter agere soleo, cum ad te accedo: en, dicimus, molestus homo &c. Simplicem se vocat Horatius eo consilio, ut suorum adversariorum voces comprimat, a quibus callidus, & versutus vir aulicus vocabatur.

V. 70. *Compenset mea bona cum vitiis*.

V. 73. * Sanado hunc locum perperam accipit sic: vis me tibi condonare levia aliqua vitia? condona aliis graviora. videtur *tuber* esse malum majus, quam *verruca*. *

V. 76. Secunda pars Satiræ de pœnis. *vitium iræ*, i. pravas cupiditates, amorem, iram, curas, quæ animo infixæ penitus sunt. *quatenus*, i. quoniam.

Semesos pisces, tepidumque ligurierit jus,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius, atque
Majus peccatum? paulum deliquit amicus:
(Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus)
Odisti, & fugis, ut Rusonem debitor æris;
Qui nisi cum tristes misero venere Calendæ,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat: amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus: mensave Catillum
Evandri manibus tritum dejecit: ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte Catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, furtum si fecerit? aut si
Prodiderit commissa fide? sponsumve negarit?
Queis paria esse fere placuit peccata, laborant

V. 82. *Inter sanos*, i. a viris cordatis. non loquitur de M. Antistio Labeone adeo celebri, qui fuit Senator, Prætor, Jurisconsultus. multæ familiæ Romæ Labeonis nomen ferebant.

V. 87. Qui nisi aliunde pecuniam conquirat, ut exsolvat fœnus, aut caput restituat Calendis, ut statutum est, tanquam captivus tandem debebit collum catena stringendum porrigere, & longas historias audire, quas Ruso pessimus Auctor condidit.

V. 89. Lepidissima imago.

V. 90. Aliquis amicus potus.

V. 91. Cælatum manibus Aulani Evandri celebris statuarii, & figuli ea ætate, juxta Plinium & veteres interpretes. ille Athenis Romam ductus est a M. Antonio. Non est igitur hoc vas Evandri Regis. Mirum sane, si tot sæcula intactus catinus perduravisset. Deinde quomodo pretiosa vasa esse poterant penes Evandrum Regem pauperem?

V. 95. Negarit, se spopondisse pro me.

V. 96. *Fere*, pro semper. Modeste hoc asserit. *laborant*, i. hærent.

Quum ventum ad verum eſt; ſenſus, moreſque repugnant,
Atque ipſa utilitas juſti prope mater & æqui.
Quum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces, ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere, dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſa: ſed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum,
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injuſti fateare, neceſſe eſt;
Tempora ſi faſtoſque velis evolvere mundi.
Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum:

Di-

V. 98. *Utilitas*. Probat juxta Epicurum juſtitiam, & injuſtitiam manare a legibus, & leges nixas eſſe ſocietatis civilis utilitate, cum contra Stoici utrumque affirmarent pendere a Natura, i. a rationis lumine, quod cuique præfulget.

V. 108. Sed illi antiqui heroes non erant tanti, ut immortali fama apud poſteros fruerentur.

V. 109. Violabant, ut libido ferebat, feminas.

V. 113. * Stoici igitur, ut vidimus, Naturam eſſe rationis lumen aſſerebant, Epicurei vero eſſe eam animi conſtitutionem, qua quiſque bonum, i. voluptatem ſibi adſciſcit, malum vero, i. dolorem propulſat. (vide Cic. de fin. bon. & mal.) hinc ipſa Natura in cauſa eſt, cur quiſque ſuæ utilitati proſpiciat, & injurias repellat. hoc autem factum eſt per legislationem. ergo dicendum Naturam eſſe cauſam remotam juſti & æqui, utilitatem vero eſſe cauſam proximam. Hinc Poeta dicit, utilitatem eſſe prope matrem juſti & æqui. Senſus igitur loci eſt. Nec Natura poteſt eo modo ſejungere iniquum juſto, quo ſejungit bona malis. Facile

Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.
Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra divum legerit: adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam ut ferula cædas meritum majora subire
Verbera, non vereor, quum dicas esse pares res
Furta latrociniis, & magnis parva mineris,
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus, & solus formosus, & est rex;

le enim & per se id facit, quia ipsa semper spectat sese, suamque utilitatem; ægre autem secernit justum iniquo. Justum enim & iniquum juxta varia adjuncta, & utilitatis speciem mutatur. Non ego mordicus propugno Epicureorum sententiam, sed contendo, Horatium eorundem opinioni adhæsisse, ut Stoicos refelleret. Verbo. hæc vox *Natura* sententia Epicureorum & Horatii non late patet, ut videtur. frustra igitur tanto animi æstu dicam impingit Horatio Volterius in suo Dialogo inscripto A. B. C., & legendum proponit ita: *Et Natura potest* &c. *.

V. 114. *Diversis*, i. malis.

V. 117. Respicit fortasse Draconis leges, qui pœnam mortis constituit in omnia fere, & qualiacumque peccata. Idcirco dixit Dmades Orator, scriptas fuisse non atramento, sed sanguine. Idem legislator edixerat, ut morte multarentur, qui legumina & poma abstulissent, æque ac sacrilegi, ac Parricidæ.

V. 118. Regula ista deberet esse recta ratio, sed juxta Epicureos est privatæ utilitatis ratio.

V. 120. Non vereor, ut afficias levi pœna hominem dignum magno supplicio, cum affirmes, furem æque esse sontem, ac grassatorem; & clamas: si tibi imperium Orbis traderetur, te puniturum levem culpam perinde ac grave crimen.

V. 122. Cum mineris, te parva peccata cum magnis recisurum una eademque falce.

V. 123. *Si tibi* &c. hæc verba dant ansam joco sequenti, quo Satira terminatur. irridet Stoicos.

Cur optas, quod habes? Non noſti, quid pater, inquis,
Chryſippus dicat: Sapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit, ſutor tamen eſt ſapiens: qui?
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque
Optimus eſt modulator, ut Alfenus vafer, omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſaque taberna,
Tonſor erat: ſapiens operis ſic protinus omnis
Eſt opifex ſolus, ſic rex. Vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri, quos tu niſi fuſte coerces,
Urgeris turba circum te ſtante: miſerque
Rumperis, & latras magnorum maxime regum.
Ne longum faciam, dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quiſquam ſtipator, ineptum
Præter Criſpinum ſectabitur: & mihi dulces
Ignoſcent, ſi quid peccaro ſtultus, amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatuſque magis vivam, te Rege, beatus.

V. 126. Cur optas imperium, quod dicis, o Stoice, te habere, cum per te ſapiens ſit etiam Rex?

V. 127. Mali Stoici ridicule ſane, & inſcite hoc præclarum Zenonis præceptum accipiebant: nempe Sapientem Regibus antiſtare.

V. 128. Tamen cum ſit Sapiens, eſt etiam ſutor.

V. 129. (V. Ind. *Tigellius*) Hic Hermogenes Tigellius adhuc vivebat, & alius erat a Tigellio Sardo, qui jam emortuus fuerat, ut vidimus initio hujus Satiræ.

V. 130. Torrentius legit *Alphinius*, aitque hunc eſſe P. Alphinium Varum Cremonenſem prius ſutorem, deinde diſcipulum M. Sulpitii, celebrem juriſconſultum, & deinde Conſulem.

V. 137. Balnea publica exiſtebant, in quibus infima plebs lavabatur, quarta parte aſſis perſoluta. As erat decima pars denarii Romani, denarius quatuor ſeſtertios continebat.

SATIRA IV.

Satiricorum Poetarum, ac ſuam præſertim in ſcribendo licentiam excuſat.

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poetæ
Atque alii, quorum Comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, ac fur
Quod mœchus foret, aut Sicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus,
Mutatis tantum pedibus, numeriſque, facetus,
Emunctæ naris, durus componere verſus.
Nam fuit hoc vitioſus: in hora ſæpe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat, ſtans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.
Gar-

Ex verſu 132 colliges Horatium non fuiſſe ætate provectum, cum hanc Satiram ſcripſit. Coactus diluere nimiæ acrimoniæ crimen in Satiris, oſtendit, ſe ex hac parte mitiorem eſſe, quam ceteri fuerint Poetæ, qui præceſſerant; ſe longe abeſſe a comparanda ſibi hoc pretio magni Poetæ fama, ſe non animum applicuiſſe huic ſcribendi generi veluti ductum ingenito maledicendi cacoethe; ſe ea tantum culpa teneri, quam homines quotidie impune committunt. A re propoſita tandem opportune, & callide digreditur, jucunde & blande enarrans, quo pacto puer a patre ſuo doceretur e vitiis alienis fructum percipere. Sed illud in hac Satira falſiſſimum eſt, quod dum ſuarum Satirarum licentiam excuſare vult, mordacior quam unquam alias exiſtit. Acuta tela undequaque vibrat, quominus tamen ipſe ea jaculari velle videatur; quæ quidem ictus inferunt inopinantibus talia, ac nunquam metuentibus. * Scaliger ait, totam frigidam eſſe hanc Satiram, a qua nihil quiſquam doceri queat: credo ſi craſſa ſit Minerva. *

V. 5. *Famoſus*, i. infamis.

V. 8. Sagacis ingenii.

V. 11. * Quintilianus ait de Lucilio: *erat eruditio in eo mira:* Cicero vero: *doctrina mediocris:* Cicero 14 annum
cir-

Garrulus atque piger ſcribendi ferre laborem,
Scribendi recte. nam ut multum, nil moror. ecce
Criſpinus minimo me provocat: accipe, ſi vis,
Accipe jam tabulas. detur nobis locus, hora,
Cuſtodes: videamus uter plus ſcribere poſſit:
Di bene fecerunt, inopis me, quodque puſilli
Finxerunt animi, raro & perpauca loquentis;
At tu concluſas hircinis follibus auras
Uſque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
De-

circiter agebat in Lucilii morte, poterat ejus Poetæ doctrinam ſin minus ex ſuo, ſaltem ex tot virorum doctorum ejus familiarium judicio perpendere. Quintilianus ſpectabat Poetam tanquam antiquum Auctorem, nugas etiam aliquo modo poterat admirari, utpote quæ hiſtoriæ temporum inſervirent. *

V. 12. Qui pauca multis verbis dicit, eſt garrulus. Lucilii ſtilus diffuſior erat, durior, aquæ lutulentæ ſimilis. Horatius, qui in hoc Poeſeos genere ſtudium operamque collocabat, recte judicare de eo poterat. Quidam ſive antiquitatis, ſive propriæ opinionis amore ſive recentiorum odio ducti Lucilium Horatio ceteris Poetis anteponebant. Poterat Horatius in hac re injuſte agere, ſi voluiſſet. Sed veriſimile eſt, quod de Lucilio dicit, quandoquidem ejus ætate litteræ humaniores naſci cœperant in Italia. Cum nullo freno Lucilius coerceret miram illam ſcribendi facilitatem, labi debebat in vitium, quod jure in hac Satira ſugillatur. Quidquid ille ſcribebat, erat veluti craſſi ignis fumo plenum.

V. 13. Flocci facio hominem, qui multus eſt in ſcribendo.

V. 14. *Minimo*, i. pignore, pretio, non digito.

V. 20. *Uſque laborantes*, i. quæ flant, & reflant.

V. 21. Urbane, & acute. videtur Poeta laudare Fannium, aut ſaltem ei gratulari, quod viam invenerit, qua ſua opera immortalitate donaret. Verum illa via erat valde indecora. Poeta legentibus divinandi voluptatem relinquit. Scriptorum illuſtrium opera & ſtatuæ in bibliothecis ponebantur. Ovidio præter exilium ea etiam pœna inflicta fuit, ut ejus opera a bibliotheca Auguſti, Agrippæ, & Pollionis exploderentur. Plinius lib. 34. c. 5. ait: „ notatum ab
„ Au-

Delatis capsis, & imagine, quum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis, ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat: utpote plures
Culpari dignos. quemvis media arripe turba:
Aut ab avaritia, aut miser ambitione laborat;
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum:
Hunc capit argenti splendor, stupet Albius ære:
Hic mutat merces surgente a sole, ad eum, quo
Vespertina tepet regio; quin per mala præceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetam.
Fœnum habet in cornu, longe fuge. Dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et, quodcumque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire, lacuque,
Et pueros, & anus. agedum pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.

In-

„ Auctoribus Lucium Accium Poetam in Camœnarum æde „ statuam sibi posuisse. „ Hæc ridicula agendi ratio in Accio, & Fannio indicat, vias quasdam constitutas fuisse, quibus ad hunc honorem perveniretur, nempe suffragium Senatus, arbitrorum judicium, imperium Principis.

V. 34. (V. Ind. *Romani*.)

V. 38. Servos pueros, servas anus.

V. 40. Præjudicata veterum opinio erat, Naturam Poeseos in versificatione consistere. Verborum numeri, & tempora sunt colores, qui vulgi oculos perstringunt, sed imitatio, quæ est Poeseos animus, mentis fere cujuslibet aciem fugit. Versificatio una non potest constituere verum Poetam.

Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comoedia, nec ne poema
Esset, quaesivere: quod acer spiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus inest: nisi quod pede certo
Dif-

V. 43. *Atque os* &c. spectat Tragoediam, Epopoejam, Odem heroicam. Si T. Livii historia versuum numeris adstringeretur, num continuo Poema esset? Si color quidam satis esset Scriptioni, ut diceretur, & esset Poema, Satira quoque inter Poemata recenseretur. Jam vero omnes Satirici Auctores aestu aliquo fervent sermonis. ergone omnis Oratio eloquens Poematis nomine donanda est? demum, si necesse est, res ipsae per se poeticae sint, idest a Poeta vel partim, vel prorsus fingantur, Satira non potest esse Poema saltem ea ratione, qua sunt Apologus, Ecloga, Comoedia, Tragoedia, Epos. Poetae cuilibet tria inesse debent; *ingenium felix*, quod res suppeditet, creet res poeticas, deinde *mens* prope divina, quasi Numine afflata, quae eas res animet; tandem *os magna sonaturum*; idest poetica elocutio, quae longe superior sit vulgaribus dicendi modis, & usitatis in Oratione soluta. Verum Horatius non agit hic de Natura cujuslibet Poematis. si enim illa tria semper & ubique requirerentur, multa Poetica opera a Poematum albo expungenda essent; sed agit de virtutibus perfecti Poetae. Non ea Horatii mens hoc loco, ut definiat exacte Poesim. Partem dumtaxat sumsit, quia totum noluit. Haec est earum definitionum una, quae nec omnino verae, nec omnino falsae sunt; quae adhibentur, cum os supprimere volumus iis, quos serio refellere dedignamur. Cognosce statum, in quo erat Horatius, si scire vis, quae ejus mens fuerit. Aliqui eruditiores homines aeque in eum male affecti, atque in ejus Satiras, *mordacem Poetam* vocaverant. Horatius iis respondet Socratis more, minus docendi causa, quam ostendendi eorum inscitiam. Aggreditur discutiendam primam vocem *Poeta*, & declarat, eos nescire, quid sit Poesis, ideoque eam definitionem affert, quae rei propositae incongrua est, nempe *Poetae mordaci*, quem vocabant. Ut haec sententiam suam confirmet, incertisque ambagibus implicet, opinionem in medium profert quorumdam, qui quaesiverunt, utrum Comoedia in Poematum album referenda esset.

V. 47. *Nisi quod* &c. quia Comoediae sermo, excepta versificatione, non est alius a communi.

Differt ſermoni ſermo merus. at pater ardens
Sævit, quod meretrice nepos inſanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuſet;
Ebrius & (magnum quod dedecus) ambulat ante
Noctem cum facibus. numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret? ergo
Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis:
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem,
Quo perſonatus pacto pater. his ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa, modoſque, & quod prius ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens ultima primis;
Non, (ut ſi ſolvas, „ Poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes, portaſque refregit „)
Invenias etiam disjecti membra poetæ.
Hactenus hæc; alias juſtum ſit, necne poema.
Nunc illud tantum quæram: meritone tibi ſit
Suſ-

V. 48. Senex Demea. vide Adelphos Terentii. id ei objicitur, qui dicit, Comœdiam non eſſe Poema, & carere tribus illis virtutibus.

V. 52. *Numquid* &c. occurrit objectioni ita: quotidie accidit, ut Patres hoc pacto incontinentibus filiis iraſcantur.

V. 53. *Ergo* &c. concludit: non ſatis eſt verſus facere, adhibitis verbis nitidis, & puris; inverſo enim verborum ordine, & turbato metro reſtat tantummodo ſermo familiaris.

V. 56. *His ego* &c. Si Lucilii verſus & meos invertas, non invenias membra Poetæ, ut mehercule invenies in invertendis verbis hujuſce loci Poetæ Ennii: *Poſtquam* &c.

V. 60. Ordo eſt: *non invenias disjecti Poetæ membra, ut ſi ſolvas*.

V. 61. *Refregit*. frangendo patefecit.

V. 63. *Alias*. promittit, ſe præcipue de hac materie acturum, utrum abſolverit, ex operibus ejus non apparet.

V. 64. Ait, nullam eſſe cauſam, cur tantopere objurgetur. Homines honeſti non metuunt a Satira, ſed improbi. Præterea Horatius eas non evulgat, cum contra plures Poetæ impuri ſuas Satiras ubique recitent intempeſtive, & impune.

Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat, & Caprius, rauci male, cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus: at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque,
Ut sis tu similis Cœli, Birrique latronum,
Non ego sim Caprii, neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos,
Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli.
Neu recitem quidquam, nisi amicis, idque coactus:
Non ubivis, coramque quibuslibet; in medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes.
Suave locus voci resonat conclusus: inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. lædere gaudes,
Inquit, & hoc studio pravus facis: unde petitum
Hoc in me jacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Sæpe

V. 66. Accusatores exhibebant Prætori, vel judici crimina manu propria exarata in eos, quos accusabant. hinc *libelli*.

V. 69. *Ut sis*, i. licet tu sis.

V. 70. *Sim* pro *sum*. idem dicendum de *recitem*, *videar*.

V. 78. *Lædere* &c. Objectio. Tu Flacce ingenita quadam malignitate actus maledicis.

V. 79. *Inquit*, subauditur *quispiam*. *unde petitum* &c. metaphora. Quis tibi hoc dixit, quis mentis meæ latibula introspicere poterat? non alius certe, quam quispiam amicus meus. multa præclare docet, de quibus præmoniti maledicis aures obseramus.

V. 84. Qui ficta tanquam vera divulgat, perinde ac si ea vidisset.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos,
E quibus unus amat quavis adspergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam, post hunc quoque potus,
Condita quum verax aperit præcordia Bacchus;
Hic tibi comis, & urbanus, liberque videtur
Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum;
Lividus, & mordax videar tibi? mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit: defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus, amico-
que A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; & incolumis lætor, quod vivit in urbe.
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. hic nigræ succus loliginis, hæc est
Ærugo mera, quod vitium procul absore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud, vere promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris
Cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me,
Ut

V. 86. *Lectis* singulis.

V. 87. *Quavis*, i. ratione.

V. 88. *Præter eum* &c. pars pro toto. qui convivium parabat balneum quoque convivis præbebat: jocus in verbis. Ordo est: *amet quavis frigida cunctos adspergere, præter eum, qui aquam præbet tepidam. frigidam alicui suffundere*, est deridere aliquem.

V. 89. Dulcis imago eleganti versu expressa.

V. 91. *Infesto nigris*, i. tibi, qui improbos odio habes.

V. 92. Repetit versum, quem vidimus in Satira secunda. hinc Poeta parvi pendebat Rufilli, & Gargonii offensionem.

V. 94. Quinam homo sit hic Petillius, & quæ ejus furta, ne divinare quidem possumus. Cognomen *Capitolinus* pluribus familiis Romanis erat commune.

V. 100. Loligo est exiguus piscis, cujus succus est niger.

V. 105. Assuevi evitando quælibet vitia, afferente Patre exempla. notandum *insuesco* active positum. *hoc*, i. ea re, documento: hic locus est omni admiratione dignissimus.

Ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando;
Quum me hortaretur parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse paraffet:
Nonne vides, Albi ut male vivat Filius? ut qui
Farris inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Quum deterreret: Scetani diffimilis fis.
Ne fequerer mœchas, conceffa cum Venere uti
Poffem, deprenfi non bella eft fama Treboni,
Ajebat. Sapiens vitatu, quodque petitu
Sit melius, caufas reddat tibi. Mi fatis eft, fi
Traditum ab antiquis morem fervare tuamque,
Dum cuftodis eges, vitam, famamque tueri
Incolumem poffum: fimulac duraverit ætas
Membra, animumque tuum, nabis fine cortice. Me fic
Formabat puerum dictis; &, five jubebat,
Ut facerem quid, habes auctorem, quo facias hoc,
Unum ex judicibus felectis objiciebat;
Sive vetabat; an hoc inhoneftum, & inutile factu,
Nec ne fit, addubites, flagret rumore malo, quum
Hic atque ille? avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortifque metu fibi parcere cogit.
Ac teneros animos aliena opprobria fæpe
Abfterrent vitiis: ex hoc ego fanus ab illis,
Per-

V. 109. *Male*, i. ægre.
V. 110. *Farris inops*, i. vix quidpiam habet, quo vitam fuftentet.
V. 118. Quis non admiretur huius optimi Patris ingenium, & filii docilem indolem?
V. 120. *Nabis* &c. ope aliena non indigebis.
V. 123. *Objiciebat*, i. citabat, in medium proferebat.
V. 126. pulchra comparatio. timor mortis efficit, ut famelici, & intemperantes ægri abftineant cibo; ita exemplum multorum juvenum, qui ad extremam miferiam caufa vitiorum redacti funt, retinere debet alios in officio.

Perniciem quæcumque ferent : mediocribus, & queis
Ignoſcas, vitiis teneor. Fortaſſis & iſthinc
Largiter abſtulerit longa ætas, liber amicus,
Conſilium proprium. Neque enim cum lectulus, aut me
Porticus excepit, deſum mihi: Rectius hoc eſt:
Hoc faciens vivam melius: ſic dulcis amicis
Occurram: hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Hæc ego mecum
Compreſſis agito labris, ubi quid datur otj,
Illudo chartis. hoc eſt mediocribus illis
E vitiis unum, cui ſi concedere nolis,
Multa Poetarum veniat manus, auxilioque
Sit mihi: (nam multo plures ſumus) ac veluti te
Judæi, cogamus in hanc concedere turbam.

V. 132. Tria hæc tempus, amicorum conſilium, & proprium a vitiis arcere homines ſolent. longa ætas multa vitia a nobis aufert vel invitis, ſed alia in priorum locum ſufficit, ita ut alia aliis mutare videamur, & dubitandum relinquamus, utrum prioribus poſteriora vincantur.

V. 133. *Conſilium*, i. quum animus in ſe redit, & attente cogitat de ſuo vitæ ſtatu.

V. 134. Auguſti tempore quinque numerabantur porticus publicæ, quæ ferebant nomina Pompei, Apollinis Palatini, Liviæ, Octaviæ, Agrippæ. Poeta loquitur de Pompei porticibus. cæteræ enim, quas novimus, nondum conſtructæ erant. *rectius* &c. ſingularis hic locus eſt, ac prope divinus, ubi ſecum Poeta tacite loquitur.

V. 138. *Ubi quid*, i. cum mihi eſt aliquid vacivi temporis, delector ſcribendis verſibus.

V. 140. Inter vitia ſua recenſet Poeta verſus ſuos ſubſecivis horis ſcriptos. ſperat, fore ut tempus, conſilium Amicorum, & proprium aliis etiam medeatur, verum hoc ſibi reſervat, & poſtulat, ut toleretur. Quis veniam neget Horatio? imo gratiam ei habeamus maximam, quod gratiſſimum hunc morbum foverit.

V. 142. Judæi compellebant Ethnicos ad Religionem Judaicam amplectendam.

S A T I R A V.

Iter quoddam suum Roma Brundusium usque singulari cum festivitate describit.

EGressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico: Rhetor comes Eliodorus,
Græcorum longe ditissimus. Inde forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Præcinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Expectans comites. jam nox inducere terris
Umbras, & cœlo diffundere signa parabat.
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ

In-

Octavius & Antonius cum supremum rerum imperium affectarent, sæpissime de eo decertarunt. Eorum reconciliatio utpote parum sincera, parum quoque diuturna erat. Bis actum fuisse refert historia de consociandis utriusque animis. Primum quidem anno 714, iterum 717. Mæcenas, qui semper auctor pacis fuit, secum duxit Horatium secunda vice, qua pacis fœdera Brundusii proposita, tandem Tarenti per Octaviam firmata sunt. Hujus sane perlepidæ argumentum est luculentissimum narrationis exemplar, quod imitari conati sunt multi Poetæ.

V. 2. *Modico*, i. parvo: ut Dacierius vult; vel comparate τῷ *magna Roma*, ut Sanado, quia Aricia civitas erat non ita exigua.

V. 3. *Forum* &c. vos excipit.

V. 5. Biduo iter confecimus, quod expediti viri die uno.

V. 9. Poeta usque ad forum Appii unum comitem habuit Eliodorum, sed in hospitio multos sibi futuros comites nactus est. Non cœnavit, quia aqua erat teterrima. regio erat palustris, ideoque iniquum vinum ferebat.

Ingerere. huc adpelle: trecentos inseris: ohe!
Jam satis est: dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora, mali culices, ranæque palustres
Avertunt somnos. absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim. tandem fessus dormire viator
Incipit, ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, nil quum procedere lintrem
Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ, nautæque caput, lumbosque saligno
Fuste dolat. Quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mæcenas, optimus atque
Coccejus, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere Amicos.

V. 12. Nauta viatorem invitans ad navem conscendendam ait *huc adpelle*: alius vero nauta carpens priorem, quod plures, quam par fuerat, exciperet, ait *trecentos inseris*.

V. 19. Nauta quiescere cupiens, & dormire, mulam solvit, & finit ire pastum, & funem alligat saxo.

V. 21. Cerebrosus est, cui cerebrum facile excutitur, qui præceps est ad irascendum.

V. 23. Erant 12 diurnæ, totidemque nocturnæ horæ. Sed pares dumtaxat Æquinoctiorum tempore. Ab Aprile usque ad Septembris finem longiores erant diurnæ, & a fine Septembris usque ad Martii longiores nocturnæ.

V. 24. Feronia locus erat, ubi hæc Dea templum habebat, & aliquot domos existebant, in quas divertebantur viatores. erat in agro Suessæ Pometiæ 24 millibus passuum longe a foro Appii.

V. 25. *Repimus*, i. paulatim sursum trahimur.

V. 29. Multæ nos causæ inducunt, ut credamus, hoc iter susceptum fuisse ob iterum Brundusii habitum congressum. Fontejus Capito Mæcenati, & Coccejo hic consociatur. jam vero Fontejus primo fœderi feriendo non aderat, sed Pollio. Præterea, cum Horatius ait, Mæcenatem, & Coccejum in conciliando Octavio, & Mæcenate operam suam

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. interea Mæcenas advenit, atque
Coccejus, Capitoque, ſimul Fontejus ad unguem
Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Luſco prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, & latum clavum, prunæque batillum.
In Mamurrarum laſſi deinde urbe manemus,
Murena præbente domum, Capitone culinam.
Poſtera lux oritur multo gratiſſima: namque
Plotius, & Varius Sinueſſæ, Virgiliuſque
Occu-

poſuiſſe, *ſoliti*: declarat primum congreſſum jam antea abſolutum fuiſſe. deinde Poeta Mæcenatem comitari non poterat anno 714. quoniam ante ejus conſpectum ductus eſt ſub finem anni 715, aut ineunte anno 716. Accidit quidem ſæpe, ut plures cordati viri duorum Principum rixas componerent, ſed privatim, non publicitus. Dacierius contra contendit, primum ab Horatio ſpectari pacis fœdus; & rationum momenta allata indigna eſſe, quæ refellantur. Magnum ſane crimen eſt in ſemel ſuſcepta opinione tuenda litterati viri pervicacia.

V. 30. Medicamentum contra Ophthalmiam ex ſeminibus, fructibus, & metallicis compactum, cohærenſque in modum pene ejus, quod vulgus Pharmacopolarum *Magdaleonem* appellat. Sic enim olim reponebantur, & aſſervabantur Collyria. cumque utendi occaſio eſſet, ea vel integra, ſicuti condita erant, adhibebantur, vel ſolvebantur in ulverem, qui aut ſuccis, aut humore aliquo dilutus adfectis oculis indebatur, vel ſuffitionibus inſerviebat.

V. 32. Appianus ait, priori conventui interfuiſſe Mæcenatem, Coccejum, & Pollionem; Horatius nominat Mæcenatem, Coccejum, & Capitonem. hi tres poſtremi non primo, ſed ſecundo adfuerunt. Dacierius ait, Appianum hallucinatum fuiſſe. putant nonnulli Fontejum hunc fuiſſe Patrem ejus, qui conſul poſtea fuit anno 765, & fortaſſe filium M. Fontei, qui ſub Cæſare in bello Africano meruit.

V. 40. *Plotius* Tucca. Quot ſinceræ amicitiæ argumenta in horum illuſtrium virorum occurſu! Hoc tanto bono nos ſpecie quidem non re fruimur. Amabilis certe eſt Poeta, cum de Amicis ſuis loquitur, dulciſſimos animi ſenſus exerit. Optimam ejus indolem, quam experrectum, maximumque ingenium potiori jure laudaverim.

Occurrunt; animæ quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus! & gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & parochi quæ debent ligna, salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Lusum it Mæcenas; dormitum ego, Virgiliusque.
Namque pila lippis inimicum & ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
Quæ super est Claudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam, Messique Cicirri,
Musa velim memores, & quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messi clarum genus .... Osci:
Sarmenti domina extat. ab his majoribus orti
Ad pugnam venere. prior Sarmentus: Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus: & ipse

V. 44. *Sanus*, i. dum sapiam, dum vivam.

V. 45. Hic pons Campaniæ non erat primus, quem venientes e Latio offendebant. Fortasse erat pons Casilini super Vulturnum.

V. 47. *Tempore*, i. tempestive. hinc *temporius* apud Ovidium.

V. 49. Synchysis, vel hyperbaton obscurum. *crudi* sunt, qui ægre cibos concoquunt.

V. 51. Facetissime duos stolidos homines loquentes inducit, poeticisque coloribus rem exornat, ut magis ridiculam eam faciat, Musas invocat, perinde ac si de re magni momenti ageret. Genealogiam utriusque vappæ instituit, veluti heroum. * injuria a Scaligero hæc Messi, Sarmentique altercatio insulsissima vocatur. Eo enim consilio, opinor, eam Poeta narravit, ut significet, se, suosque Comites tot tantisque itineris incommodis enectos fuisse, ut vel quantulamcumque viam, & caussam sedulo quæritarent recreandi animos. *

V. 54. *Osci* subauditur *sunt*. Osci populi corruptis moribus, & lingua famosi.

V. 55. Sarmentus & Messius non videntur fuisse duo parasiti Mæcenatis, sed homines prorsus ignoti, & vilissimi. fuit quidam Sarmentus Octavii scurra. Utrum de hoc an de alio agatur, ignoramus.

Messius, accipio; caput & movet: O! tua cornu
Ni foret execto frons, inquit, quid faceres, quum
Sic mutilus miniteris? At illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad hæc; donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quærebat, scriba quod esset,
Deterius nihilo dominæ jus esse: Rogabat
Denique cur unquam fugisset; cui satis una
Farris libra foret gracili sic, tamque pusillo.
Prorsus jucunde cœnam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Pene arsit, macros dum turdos versat in igni.
Nam

V. 58. *Accipio*, i. venio, quocumque me vocas, pugnaturus. Messius hoc dicens caput movit, & acre responsum minabatur. Sed Sarmentus id præoccupavit ingeminans verborum aculeos. Verba enim sequentia sunt Sarmenti. Morbus campanus est incontinentia.

V. 60. Messius in superiori oculi lævi parte notam habebat hispidis pilis, & densis horrentem.

V. 63. Poliphemum in Chorea ducenda repræsentaret.

V. 65. Mancipia, quæ fugæ suspicionem injiciebant, aut quæ ruri colendo operam dabant, compede vinciebantur. Ex Mart. Epig. 29 lib. 3 apparet, mancipia in libertatem vindicata sacrare solita fuisse Saturno catenas, quia servitus nulla erat regnante illo Deo, nusquam legimus *Laribus*. Cum igitur Messius quærit a Sarmento, num Laribus catenam sacraverit, eum sugillat veluti servum fugitivum. Viatores enim invocabant Lares, eosque appellabant viales.

V. 67. Sarmentus fugerat a domina, & scribæ munus obibat. Licet autem scriba esset, tamen adhuc jus erat Dominæ eo veluti servo utendi.

V. 68. Messius voce *unquam* indicat, pluries Sarmentum fugisse.

Nam vaga per veterem dilapſo flamma culinam
Vulcano, ſummum properabat lambere tectum:
Convivas avidos cœnam, ſervoſque timentes
Tum rapere, atque omnes reſtinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus, & quos
Nunquam erepſemus, niſi nos vicina Trivici
Villa recepiſſet, lacrymoſo non ſine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem ſtultiſſimus uſque puellam
Ad mediam expecto noctem, ſomnus tamen aufert
Intentum Veneri, tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupinum.
Quatuor hinc rapimur viginti & millia rhedis,
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt;
Signis perfacile eſt. venit viliſſima rerum
Hic aqua, ſed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut ſoleat humeris portare viator.

V. 73. Ex his turdis colligit Dacierius hoc iter factum fuiſſe elapſo Septembri, ideoque agi de primum ibito fœdere. ſed hæc nullius momenti ſunt. Turdi illi macri erant, quia ante tempus capti ſunt, cum nondum effluxerit æſtas.

V. 78. *Atabulus*, i. Japix. Plinius de eo ait: *frigore exurit arefaciens*. vocant Itali *Ponente Maeſtro*.

V. 83. *Tamen*, i. tandem.

V. 87. Interpretes ajunt hanc urbeculam Eutractitium eſſe, vel Equotutium hodie *Ariano*. hoc oppidum fuit in via Appia, ſed locorum intervalla non concordant cum iis, quæ dicit Horatius. Unum & viginti millia paſſuum numerantur a Benevento uſque ad *Equotutium*. Poeta vero 8 inter Trivicum & hanc urbeculam, quam minime nominat. Si addas iter, quod a Benevento uſque Trivicum fecit, reperies, iter plus dimidio productum, quam quod factum fuiſſet, ſi recta Benevento Equotutium uſque peractum fuiſſet. ex quo colligere licet hanc urbem non eſſe Equotutium; niſi forte Horatium cum cæteris via fefelliſſet in montibus.

Nam Canusi lapidosus; aquæ non ditior urna,
Flentibus hic Varius discedit mœstus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior; via pejor, adusque
Bari mœnia piscosi: dein Gnatia lymphis
Iratis extructa dedit risusque, jocosque:
Dum flammis sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit; credat Judæus Apella,
Non ego: namque Deos didici securum agere ævum:
Nec, si quid miri faciat Natura, Deos id
Tristes ex alto cœli demittere tecto.
Brundusium longæ finis chartæque, viæque.

V. 103. Vocat Horatius longum iter suum, quia confecerat 370 millia pass.

S A T I R A VI.

Invidorum dicteria refellens veram statuit Nobilitatem.

NOn quia Mæcenas Lydorum quidquid Etruscos

In-

In longa illustrium Majorum serie vera vel ficta proferenda, in amplissimis Magistratibus obeundis, in ingentibus proventibus colligendis, in stipantium servorum multitudine alenda nobilitatem sitam esse mortales fere omnes putant. Contra vero Virtus omni vanitatis apparatu detracto, hominem ex natura ipsa non ex bonis externis metitur, & sæpe in eo nobilitatis larva obtecto abjectum animum, infelicem, scelestum offendit; eademque sæpe ex ignobilitatis tenebris eruit magnanimas cogitationes, ingenium omni ex parte perfectum, animum æquum, & liberalem, ingenuos, probosque mores. In hujusmodi sane rebus illa nobilitatem collocat, cæteros vero titulos respuit. * Sed quænam est Poetæ mens? Satiram omnem excutiamus, ejusque viscera introspiciamus. Horatianæ satiræ familiaribus sermonibus simi-

similes sunt, qui in liberalium hominum cœtibus haberi soleat, ubi de pluribus variisque rebus agitur; argumenta fere omnia, quæ eisdem, & præsertim huic præmitti consueverunt, similia sunt iis, quæ reperiuntur in libro cui titulus *Essays de Montagne:* totum sane opus iis accommodare non poteris. Hæc satira, opinor, est Horatii apologia contra suos adversarios, qui cum eidem Mæcenatis gratiam inviderint, in eo toti erant, ut e tanto fortunæ statu Poetam dejicerent. idcirco generis humilitatem exprobrabant crebro: ita ne vero, ajebant, viri Principis mensæ liberti filius accumbat? ejusdem familiaritate utatur? cum eo ludat?. cum eo spectaculis intersit? ejusdem consiliorum particeps sit? &c. propterea id sæpe oppugnat: *libertino patre natum, quem rodunt omnes libertino patre natum*. Ad hoc, quod sibi animo proposuit, redit post 44 versum, *nunc ad me redeo*. Quod argumento est, Poetam id unice spectare. Mæcenatis genus vetustum ac nobile cum virtute conjunctum extollit, ut magis deprimat eos, qui se nobili loco genitos jactabant, licet essent virtute destituti, & generis obscuritatem objectabant. *Non quia, Mæcenas*, &c. Invidebant, quia mensæ Mæcenatis assidebat: *Nunc quia, Mæcenas, tibi sum convictor*: Olim vero quia Tribunus militum erat: *at olim quod mihi* &c. Rupilius Rex, ut videbimus in Satira sequenti eum filium liberti vocitabat; ultus est contumeliam Poeta, Rupiliumque posteritati deridendum præbuit. Posthac multi reperti sunt nempe Lucilii fautores, quos refellerat, imitatores Græcorum Poetarum, & Catulli, & Calvi, nempe Pantilius, Fannius, Demetrius, Tigellius Ermogenes, quos vocat servum pecus, iique, quorum cœtum frequentare nolebat, qui omnes cum viderent causam suam se tueri non posse, & Poetam in magna virorum illustrium existimatione vivere, ejus sorti invidere cœperunt. Ille igitur hac satira non tam causam suam propugnare vult, quam Mæcenatis, a quo in amicorum numerum cooptatus est. Si ex sententia communi hanc satiram consideres, informem eamdem agnoscas, necesse est, videasque ejus principium, ac finem a cæteris partibus abhorrere. Nil mirum, si Scaliger eam contemnit, & Octavæ juvenalis postponit, ea de causa, quod pauca de vera nobilitate dicantur. *perpauxilla de virtute, cum qua comparat vulgarem nobilitatem, multa de se ipso, ubi non eum pudet ignavam commendare vitam, nullisque civilibus officiis luculentam, ut natalitia sua vere libertina prodat*. si mordax hic Censor Poetæ mentem assecutus esset, non modo conviciis pepercisset, verum etiam hoc opus, ut par erat, laudavi-

Incoluit fines, nemo generoſior eſt te;
Nec, quod avus tibi maternus fuit, atque paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus; perſuades hoc tibi vere,
Ante poteſtatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos ſæpe viros nullis majoribus ortos,
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos.
Contra Lævinum Valeri genus, unde ſuperbus
Tarquinius regno pulſus fugit, unius aſſis
Non unquam pretio pluris licuiſſe, nôtante
Judice, quo noſti, populo. qui ſtultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ ſervit ineptus:
Qui ſtupet in titulis, & imaginibus. Quid oportet
Vos facere a vulgo longe longeque remotos?
Namque eſto, populus Lævino mallet honorem,
Quam

daviſſet. Videtur Sanadoni hæc ſcripta fuiſſe poſt Virgilii Variique mortem, nempe poſt annum 735; ſed Horatius multis jam annis ante invidos omnes ſilere juſſerat, vocavitque ſe *invidia majorem*. *

V. 1. Lydorum omnium, quoquot ad Etruſcos fines appulerunt. Licet Dionyſius Halicarn. hoc neget, tamen Virgilius, Strabo, Plinius, Tacitus, Vellejus, Seneca, Plutarchus, Val. Max. & alii cum Horatio ſentiunt.

V. 5. Ludos facis. Vir nobilis & cordatus genus ſuum ſpectat, velut fortunæ donum, nec eos negligit, quibus Dea ſua dona invidit. aduncus naſus eſt deridentis ingenii.

V. 7. *Referre*, i. intereſſe.

V. 12. A gente Valeria: *unde*, i. a quo genere.

V. 14. Ait, Lævinum nihil æſtimatum fuiſſe a populo, dum magiſtratum peteret. *notante*, i. talem notam ei inurente populo, populo judicium ferente. in verſu præcedenti *τὸ fugit* eſt præſens pro præterito. Quod eleganter uſurpatur, cum rei cognitio, aut aliqua alia vox tempus definit, & ambiguitatem ſenſus tollit.

V. 16. Famæ Larvas captat.

V. 19. Dacierius & Torrentius obſcurum hunc eſſe locum faten-

Quam Decio mandare novo: Cenſorque moveret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quieſſem.
Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru
Non minus ignotos generoſis. Quo tibi, Tilli,
Sumere depoſitum clavum, fierique Tribuno?
Invidia accrevit; privato quæ minor eſſet.
Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pel-

ſatentur. Dacierius ita ferme explicat: Populus ſemper perperam de omnibus judicat, & tamen recte de Lævino judicavit. Nihil tamen hoc impedit, quominus compertum habeamus, populum ſemper prælaturum fuiſſe Lævinum Decio, i. hominem nihili genere illuſtrem honeſto viro humili loco nato. Nam, ut pro certo habendum eſt, licet populus contemſerit Lævinum, ſemper tamen Decio eumdem præferet. Sed quis hæc intelligat? quomodo dicit, Populum ſemper perperam de omnibus judicare, & recte de Lævino judicaſſe? ſi idem populus nihili habuit Lævinum, cur perſuaſum habeamus, Lævinum a populo prælatum iri Decio, cum conſtet contra accidiſſe? Dacierius ſibi contradicit, & ſenſum verborum perturbat. Jam vero Poeta non aſſerit, Populum ſemper perperam judicare de omnibus: at ſane, licet fere non faveat populus virtuti, *ſtultus honores ſæpe dat indignis*, tamen aliquando eam præmio afficit, nam Decium Lævino prætulit; h. e. hominem virtute præditum humili loco natum ſcelerato ob generis claritatem nobili. Non dicit Poeta, populum ſemper prælaturum Decio Lævinum, ſed licet populus tam injuſte egerit aliquando, tamen non conſequens fore, Lævinum idcirco magis honeſtum, & Decium minus futurum eſſe. *eſto* dictum eſt per ſuppoſitionem, & conceſſionem, ut ajunt. Hic eſt Decius illius pater, qui ſe pro patria vovit anno 418. Ejus filius idem fecit 40 annis poſt.

V. 21. Appius ponitur pro quolibet cenſore rigidiſſimo. *Ingenuus* erat qui ſervus non naſcebatur.

V. 22. Innuit fabulam aſini Æſopici, qui ſe leonis pelle induerat.

V. 23. Tò *ſed* refertur ad *nam*.

V. 24. Hæc digreſſio a verſu 22 incipit, & definit in 45.

V. 27. Hoc calceaminis genus vocabatur *mulleus* a verbo *mullare* pro *ſuere*. Patricii, & Senatores mulleum a priſcis
Albæ

Pellibus, ac latum demisit pectore clavum,
Audit continuo, Quis homo hic? aut quo patre natus?
Ut si qui ægrotet, quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus, eat quacumque, puellis
Injiciat curam quærendi singula: quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic, qui promittit, cives, urbem sibi curæ,
Imperium fore, & Italiam, & delubra deorum:
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare, & quærere cogit:
Tu ne Syri, Damæ, aut Dionysi filius audes
Dejicere e saxo cives? aut tradere Cadmo?
At Novius Collega gradu post me sedet uno:
Namque est ille pater quod erat meus. hoc tibi Paulus,
Et Messala videris. At hic, si plostra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua, quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.

Nunc

Albæ regibus mutuati sunt; calcei mullei soleas habebant altiores, & pedi utrique adnectebantur loris cancellatim dispositis, & ad medium usque crus advolutis, & fibula vel unco adstrictis. Calcei senatorum constabant pellibus nigris, & aliquando albis, sed Magistratuum curulium rubeis. Titinnius in sentina ait: *jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.*

V. 33. *Facie*, i statura, habitu corporis, incessu.

V. 34. Qui magistratum obire vult, cui curæ sint futuri cives &c.

V. 38. Præclara prosopopœja per dialogismum, ubi quidam e populo fingitur ad inquirendum in novum hominem, & hic ad respondendum objicienti. *Dama* est vox contracta pro *Demetrio*. tria nomina mancipiorum.

V. 40. Fingit Tillium hæc sibi objicere.

V. 42. *At hic*. respondet, Novium aliquo modo Tribunatum mereri, nam stentorea pollet voce.

V. 44. *Tenet*, i. imponit populo.

Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc quia sum tibi, Mæcenas convictor, at olim
Quod mihi pareret legio Romana Tribuno.
Dissimile hoc illi est: quia non ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum:
Præsertim cautum dignos assumere, prava
Ambitione procul; felicem dicere non hoc
Me possit, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim tibi me fors obtulit. Optimus olim
Virgilius, post hunc Varius dixere, quid essem:
Ut veni coram, singultim pauca locutus,
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Saturejano vectari rura caballo:
Sed, quod eram, narro. Respondes (ut tuus est mos)
Pauca: abeo; & revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero: magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,

Non

V. 45. Redit, unde digressa fuerat Oratio. ait: Mæcenas me suum amicum elegit, eo quod virtutibus animum meum ornatum vidit. repetit; quæ sibi exprobrabantur, ut significet, se valde pro certo habere Mæcenatem hujusmodi vocibus aures nunquam præbiturum.

V. 48. Rupilius Rex invidebat ei Tribunatum militum.

V. 53. Non possit me felicem dicere hac re, ob eam rem, quod te sum casu amicum sortitus.

V. 57. *Infans*, i. qui nescit loqui.

V. 59. (V. Ind. *Palus satura*.)

V. 61. Horatius, & Mæcenas tranquille effluere patiuntur 9 Menses; primus quidem a visenda domo tanti viri abstinet, alter vero non revocat eum, de quo magnam animo conceperat existimationem. Quis ex hac agendi ratione non colligeret, Poetam e memoria Mæcenatis merito excidisse? Nihil minus. Aulicus quispiam vir negligentiæ Poetam accusaret, sed Mæcenas hoc ei modestiæ vertit. O egregia utriusque exempla! sed licet viri Horatio pares extiterint, in quo tandem Mæcenatis magnanimitas reperietur & æquitas?

Non patre præclaro, ſed vita, & pectore puro.
Atqui ſi vitiis mediocribus, ac mea paucis
Mendoſa eſt natura, alioqui recta (velut ſi
Egregio inſperſos reprendas corpore nævos)
Si neque avaritiam, neque ſordes, aut mala luſtra
Objiciet vere quiſquam mihi ; purus & inſons
(Ut me collaudem) ſi vivo, & charus amicis,
Cauſa fuit pater his, macro qui pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto,
Ibant Octonis referentes idibus æra.
Sed puerum eſt auſus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis Eques, atque Senator
Semet prognatos. Veſtem, ſervoſque ſequentes
In magno ut populo ſi quis vidiſſet, avita
Ex re præberi ſumtus mihi crederet illos.
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui

V. 68. *Mala luſtra*, i. diſſolutos mores.

V. 70. Mihi condonetur hæc laus, quam mihi defunctorie tribuo, & ex tranſcurſu.

V. 71. Docet quo pacto a patre educatus fuerit, locus hic eſt ſane luculentiſſimus. Grati animi affectio æquiſſima erat, ſed ingenuus filius eam impenſius prædicare certe non poterat. hac jucunda digreſſione tacite demonſtrat, animi nobilitatem cum generis non ſemper copulari, & præcipue patris cauſam tuetur contra malevolos.

V. 72. Magni Centuriones erant ii, qui cohortibus præficiebantur. Vocabantur primi haſtati, primipili, primi principes.

V. 75. *Octonis idibus*, quæ 8 diebus poſt nonas veniunt, ſolvebatur merces magiſtris, teſte Gerardo Voſſio.

V. 81. diligentia hujus Patris admirabilis eſt. Nemini educandum curat filium, quia nemini fidem habet. præterquam quod ipſe eum circum doctores ducit, intereſt quoque litterariis exercitationibus. Quæ ſedulitas dii boni! ſed levis fit labor omnis Patri, qui vere filium amat, & novit, quam vehementer referat, bene eum educare. Inveterata Patrum incuria factum eſt, ut hujuſmodi exemplum heroibus dignum eſſe videretur.

(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor
Mercedes sequerer : neque ego sum questus. Ad hæc nunc
Laus illi debetur, & a me gratia major.
Nil me pœniteat sanum patris hujus: eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat, clarosque parentes,
Sic me defendam : longe mea discrepat istis
Et vox, & ratio, nam si natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes
Optaret sibi quisque; meis contentus, honestos
Fascibus, & sellis nollem mihi sumere: demens
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus (haud unquam solitus) portare molestum.
Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque salutandi plures; ducendus & unus,
Et comes alter, uti solus ne rusve peregreve Exirem; plures calones, atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel si libet, usque Tarentum;
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Quum

V. 85. Quam cordatus vir, & liberalis erat hic Pater licet in servitute natus! sed nunc *probitas laudatur & alget*; ut ait Juvenalis.

V. 87. Mercedes parvæ sunt reditus, & proventus illi, quos coactor ex munere suo percipiebat. vel significat parva illa vectigalia, quæ rebus venalibus imponebantur.

V. 90. *Dolo*, i. damno.

V. 104. *Petorrita*; vox Gallica.

V. 106. Hinc colligitur Horatium pinguem fuisse.

Quum Tiburte via prætorem quinque ſequuntur
Te pueri, laſanum portantes, œnophorumque;
Hoc ego commodius, quam tu, præclare Senator,
Millibus atque aliis vivo. Quæcumque libido eſt,
Incedo ſolus: percontor quanti olus, ac far:
Fallacem Circum, veſpertinumque pererro
Sæpe Forum: aſſiſto divinis: inde domum me
Ad porri & ciceris refero, laganique catillum.
Cœna miniſtratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet: aſtat Echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana ſupellex.
Deinde eo dormitum non ſolicitus, mihi quod cras
Surgendum ſit mane: obeundus Marſia, qui ſe
Vultum ferre negat Noviorum poſſe minoris.
Ad quartam jaceo: poſt hanc vagor: aut ego (lecto,

Aut

V. 108. Via Tiburtina a porta Eſquilina initium ducebat.

V. 109. Tillius, ut parceret ſumtibus in diverſoriis, ſibi geſtari jubebat a ſervis laſanum, ideſt vas culinarium, & œnophorum, vas vinarium. nempe quidquid ſibi & familiæ ſuæ alendæ inſerviret. * quoniam vero laſanum ſignificat etiam latrinam, videtur Horatius de induſtria has voces adhibuiſſe ad oſtendendas Prætoris ſordes, quem non puderet, viliſſima quæque & cuilibet in medio poſita a ſervis circumferri. *

V. 110. Sic ego commodius vivo, quam tu, & quam alii ſexcenti.

V. 116. Indicat fortaſſe lapides altos Tarentinos; quibus rurſus conſtrui jubebat ſibi villam ſuam. alii volunt indicari menſam marmoream, & delphicam minimi pretii.

V. 117. Echinus & guttus qua figura eſſent, latet. Echinus erat fortaſſe catinus quidam, concha. patera erat poculi genus, quod in ſacris adhibebatur; guttus erat culigna. *campana ſupellex*, i. *ex argilla campana*. diceres, *di terra di Faenza*.

V. 120. Marſia erat ſtatua in foro contra roſtra.

V. 122. Non uſque ad quartam diei horam dormiebat Horatius, ſed ſomno multo ante excitatus ſcribebat aut legebat multa, lecto ſtratus, ut videre eſt in Ep. ad Auguſtum. *lecto* aut *ſcripto* ſunt ablativi abſoluti.

Aut scripto, quod me tacitum juvet) ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio campum, lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. hæc est
Vita solutorum misera ambitione, gravique.
His me consolor, victurum suavius, ac si
Quæstor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

V. 123. Me fricari jubeo oleo.

V. 124. Cognomen Nattæ tribuebatur cuidam familiæ e gente Pinaria derivatæ.

V. 125. Quadam diei hora. describit, quam vitam ageret anni cursu, quasque curas singulis diei horis destinaret. Dacierius putat, *τὸ sol acrior* referri ad caniculam, & Horatium angi solitum hac solummodo tempestate. crederem *τὸ sol acrior* idem esse ac *sol gravis* in Satira *Unde & quo Catius*.

V. 126. *Campum* martium. *τὸ lusum trigonem* indicat ludum pilæ. (V. Ind. *pila trigonalis*.)

V. 127. Romani vespere cœnabant. prandium erat levissima comestura. frustum panis sicci, aut aliqua poma edi solebant. *quantum* &c. i. quantum satis est, quod impediat, quominus durem jejunus tota die.

V. 128. Jure Horatius suam felicitatem jactat, ex hac parte vita sese offert anxia & solicita virorum Principum; quos ambitio velut mancipia fortunæ currui obligata trahit; ex illa vero vita libera & tranquilla privati hominis, qui in mediocri fortuna quiete & voluptate placida fruitur.

V. 130. Concludit, se licet liberti filium esse felicissimum præ ceteris, qui nobili genere prognati sunt.

S A T I R A VII.

Rupilii & Persii rixam facete describit.

PRoscripti Regis Rupili pus atque venenum

Cum hæc Rupilii Persiique contentio in id tempus inciderit.

Ibrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas:
Durus homo, atque odio posset qui vincere Regem,
Confidens, tumidusque: adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo. postquam nihil inter utrumque
Convenit, (hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors:
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. duo si discordia verset inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco: discedat pigrior, ultro
Muneribus missis:) Bruto Prætore tenente
Ditem Asiam, Rupili & Persi par pugnat, uti non
Compositi melius cum Bitho Bacchius. in jus

Acres

derit, quo Horatius Bruti partes sequebatur, hinc facile colligimus, Poetam hac satira primum ingenii sui specimen dedisse, eamque chartis mandasse anno 712 paucis mensibus ante prælium Philippense. Præterea illa nescio quæ jocorum novitas, & nimia vivacitas, nugæ illæ, illa versificationis incuria major, quam exiguus versuum numerus pati possit, aperte indicant juvenilis ætatis esse partum.

V. 2. Persius erat græcus ex patre, & italus ex matre; ideo Ibrida vocatur.

V. 3. Lippi magna cognoscendarum rerum curiositate feruntur. Natura reparandis rebus deperditis intenta vitium oculorum promtissima aurium ope plerumque compensat, perinde ac amissi sensus vim in alterum translatura.

V. 6. *Odio*, i. pervicacia, importunitate.

V. 10. *Hoc jure*, i. hac de caussa.

V. 11. *Incidit*: quinque versibus post dicit *incidat*. perperam repetitur idem dicendi modus.

V. 12. Lepide sane comparat ambos duobus clarissimis belli Trojani ducibus. eo magis jocus emicat, quo graviorem rerum faciem præsefert bellum.

Acres procurrunt, magnum ſpectaculum uterque.
Perſius exponit cauſam: ridetur ab omni
Conventu: laudat Brutum, laudatque cohortem;
Solem Aſiæ Brutum adpellat, ſtellaſque ſalubres
Adpellat comites, excepto Rege: canem illum,
Inviſum agricolis ſidus veniſſe: ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara ſecuris.
Tum prænestinus ſalſo multoque fluenti
Expreſſa arbuſto regerit convicia, durus
Vindemiator, & invictus, cui ſæpe viator
Ceſſiſſet, magna compellans voce cuculum.
At Græcus, poſtquam eſt italo perfuſus aceto,
Perſius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges conſueſti tollere: cur non
Hunc regem iugulas? operum hoc (mihi crede) tuorum eſt.

V. 26. *Ruebat*. inani quadam conviciorum profluentia utebatur.

V. 27. Ad exprimendam torrentis rapiditatem ait, eo ſecurim non ferri, quia omnes arbores radicitus avulſas offendit potator.

V. 28. *Tum Rupilius Rex Prænestinus durus vindemiator expreſſa arbuſto convicia regerit Perſio ſalſo, multoque fluenti*. τὸ *multo* eſt nomen adjectivum.

V. 32. *Italo aceto*, i. contumeliis, quas Rupilius in Perſium conjecit, quippe quæ uſitatæ ſunt apud italos. hujuſmodi deriſorem acidæ linguæ appellat hominem Seneca.

V. 34. L. Junius Brutus Roma expulit Tarquinium Superbum, M. & Decimus Brutus occiſſo Julio Cæſare tota urbe proclamarunt, ſe occidiſſe Regem Romæ, & Tyrannum Patriæ. Hæc certe Horatius pronunciare auſus non fuiſſet, poſtquam ad Octavium deſcivit. Suſpicari etiam licet, hanc Satiram 20 ſaltem annis poſt mortem Horatii in publicum prodiiſſe.

SATIRA VIII.

Conqueritur Priapus Esquilinum montem veneficarum incantamentis infestari.

OLim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Quum Faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus:
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis,
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis

Con-

Videtur Canidia olim deprehensa fuisse, dum in colle Esquilino post hortos Mæcenatis incantamentis operam dabat. Priapus omnia narrat. Horatius interim gaudet utrumque satirico sale perfricare. ne conjectura quidem augurari possumus, quis annus huic satiræ adponendus sit. Certe confecta fuit ante hæc opera: *Jam jam efficaci*; *quando repostum*; *Tyrrhena Regum*; *sunt quibus in Satira*.

V. 1. Omnes dicendi modi irrisionis plenissimi sunt. lignum ficulnum nullo operi faciundo accommodari potest, ne scamno quidem construendo, sed tandem singularem in eo vim nactus est Poeta, nempe repræsentandi Deum omnium ineptissimum. Hoc ligni decus impediit, quominus in ignem conjiceretur. Præterea (quod irrisioni cumulum addit) miserum illum deum, quem ludum facit, hæc omnia loquentem inducit.

V. 7. Octavius cum montis Esquilini aerem infectum vellet expurgare, Senatus & populi consensu partem illius collis dono dedit Mæcenati, qui ibi statim magnificam domum, & hortos statui jussit. τῷ *novis hortis* respondet τὸ *novos agros* Popertii in Eleg. *Disce quid esquilias*. Satira igitur & Elegia eodem tempore scriptæ sunt. Mæcenas in illis hortis fossam amplam duci jussit, in qnam influerent aquæ calidæ, cum natare vellet. Dio, lib. 55.

V. 8. In hunc locum certo pretio constituto dabant servi portanda suorum conservorum cadavera, ex angustis ipsorum casulis educta, & in paupere feretro composita,

Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: hæredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus; atque
Aggere in aprico spatiari: qua modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.
Quum mihi non tantum furesque feræque suetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt, atque labori:
Quantum, carminibus quæ versant, atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum,

V. 11. Mallius Pantolabus, & Cassius Nomentanus adhuc vivebant. Jamque omne patrimonium dilapidaverant; idcirco iis tumulum destinat in sepulchreto vilis plebis. in Satira *Sunt quibus* Trebatius exprobravit Horatio hunc versum velut aceto nimis acri plenum. Ergo hac illa posterior. Porphirio putat Pantolabum esse Mænium, de quo vide Epist. 15.

V. 12. *In fronte*, i. in anteriori parte, ex parte viæ: *in agro*, i. in posteriori. *cippus* est parva columna lapidea, quæ in agro ad perpetuam rei memoriam extollebatur cum inscriptione. *dabat*, h. e. indicabat. pes Romanus constabat 11 pollicibus.

V. 14. Aer ibi tam salubris, & habitatio tam jucunda facta est, ut Augustus illuc transferri voluerit, quum ægrotaret. Nemus etiam illic conseri jussit, & magnificentissimam Regiam, & splendidas porticus ædificari, quibus uterentur Nepotes ejus Cajus, & Lucius Agrippæ filii. Tiberius in Mæcenatis domum secessit anno 755, quum ab exilio Rhodo discessit.

V. 15. *Aggere*, i. in ampla peristylii planitie eminenti, quod erigi jussit Mæcenas in suis hortis.

V. 16. Hic versus spondæis onustus tristitiam & horrorem animo injicit legentium. In Ode *Quando repostum* loquitur Poeta de domo magnifica, quam Mæcenas in monte Æsquilino habebat. In hac Satira ostendit hanc domum nuper esse ædificatam; *modo*: jam vero Ode scripta fuit anno 723. ergo hæc satira aliquot annis ante Odem exarata est.

V. 17. *Quum* refertur ad *nunc licet*. ridiculum sane est, cernere hunc Deum, fateri coactum, se nescire, quo pacto injurias sibi illatas ab hac improba saga ulciscatur.

Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu, quid agis, dulcissime rerum?
Suaviter, ut nunc est, inquam, & cupio omnia quæ vis.
Quum adsectaretur, Numquid vis? occupo: at ille,
Noris nos, inquit, docti sumus. Hic ego, pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quærens,
Ire modo ocyus, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero. Quum sudor ad imos
Manaret talos, o te, Bolane, cerebri
Felicem, ajebam tacitus. Quum quodlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam; Misere cupis (inquit) abire,
Jamdudum video, sed nil agis, usque tenebo,
Pro-

ma potestatem sibi arrogant efferendi ad editissimum gradum virtutes ac vitia. amplissimæ istæ ac summæ rerum species acrius percellunt hominum animos. Plerique enim hominum a vitiis removeri nequeunt, nisi vehementi vi repellantur. Maxime sane nos delectat hujusce eventus accurata, & simplex narratio. Celebri Antonio Vulpio videtur hic loquaculus esse Propertius. Sed cur Horatius, cum in eodem esset contubernio cum illo Poeta, eundem inducit suo lateri adhærere pertinaciter volentem in via sacra, & importunum comitem esse?

V. 1. Via sacra ferebat ad forum Romanum.

V. 3. Propertius Horatio non nomine tantum, sed etiam intus & in cute notus esse poterat. (Vide Horatii vitam in fine.)

V. 4. Rario ista furiose accedendi ad hominem ignotum, hæc libertas arripiendi manus, est duplex impudentiæ argumentum.

V. 7. Alterum stultitiæ genus: initio statim sermonis se laudat: hoc est semidoctorum, & sciolorum. hac superbia poetica se efferre solitum Propertium, ait Vulpius.

V. 8. *Misere*, i. anxie. fastidio captus & solicitudine erat Horatius.

V. 11. Stupidus fortasse quispiam insulso importuni hominis sermone gaudebit.

V. 15. Immodicam temeritatem vide.

Profequar hinc, quo nunc iter eft tibi. Nil opus eft te
Circumagi: quemdam volo vifere non tibi notum:
Trans Tiberim longe cubat is prope Cæfaris hortos.
Nil habeo, quod agam, & non fum piger, ufque fequar te.
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis afellus,
Quum gravius dorfo fubiit onus: incipit ille:
Si bene me novi, non Vifcum pluris amicum,
Non Varium facies. Nam quis me fcribere plures,
Aut citius poffit verfus? quis membra movere
Mollius? invideat quod & Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: eft tibi mater,
Cognati, queis te falvo eft opus? haud mihi quifquam.
Omnes compofui. felices! nunc ego refto:
Confice: namque inftat fatum mihi trifte, Sabella
Quod puero cecinit, mota divina anus urna:
Hunc neque dira venena, nec hofticus auferet enfis,
Nec laterum dolor, aut tuffis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando confumet cumque: loquaces,

Si

V. 16. Poeta ut illum a fe removeret, fignificat, fe longa viarum fpatia dimenfurum effe, antequam ad propofitam fibi metam perveniat. horti Julii Cæfaris erant propter Tiberim, quos ille ex teftamento Populo R. reliquerat.

V. 22. In hoc & fex fequentibus verfibus putat Vulpius agi de Propertio, quod ille fæpe prædicet, fe fcribendis carminibus aptum, & quod in Eleg. 4. lib. 2 dicat: *nequaquam perfufa meis unguenta capillis: ibat, & expenfo planta morata gradu*, & quod omnes fuos confanguineos compofuerit. Sed hæc communia effe poterant cum Bariis & Mæviis.

V. 25. Ermogenes hic vivit; at in Sat. 3. hujus videbatur obiiffe Sanadoni.

V. 28. Humavi.

V. 29. Encea. *Sabella*, i. faga Sabina.

V. 33. *Quando*, i. quandocumque, aliquando. moleftia, quam parit garrulitas, eft quidam languor, quo homo tabefcit.

Si ſapiat, vitet, ſimulatque adoleverit ætas.
Ventum erat ad Veſtæ, quarta jam parte diei
Præterita: & caſu tunc reſpondere vadatus
Debebat. quod ni feciſſet, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulum hic ades. inteream, ſi
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura;
Et propero, quo ſcis: dubius ſum quid faciam, inquit,
Te ne relinquam, an rem? Me, ſodes: Non faciam; ille,
Et præcedere cœpit. Ego (ut contendere durum
Cum victore) ſequor. Mæcenas quomodo tecum,
Hinc repetit. Paucorum hominum, & mentis bene ſanæ?
Nemo dexterius fortuna eſt uſus: haberes
Magnum adjutorem, poſſet qui ferre ſecundas,
Hunc hominem velles ſi tradere. Diſpeream, ni
Sum-

V. 35. *Parte*, i. *hora*. prima hora diei apud Romanos incipiebat ab ortu ſolis. Martialis ait: *exercet raucos tertia Cauſidicos*. Jam hora una effluxerat, ex qua in foro licebat agere, quando Poeta ad Templum Veſtæ venerat.

V. 36. Citatus, vadimonio obſtrictus, paſſive.

V. 39. Adhibet Poeta juris formulas: *reſpondere*, *adeſſe*, *ſtare*, *rem relinquere*. Prima ſignificat ſiſtere ſe ante judicem; ſecunda cauſæ alicujus tuendæ intereſſe; tertia vero ſtandi rationem in eo, qui in jus appellatur; quarta per ſe patet.

V. 43. *Mæcenas* &c. hæc verba uſque ad τὸ *omnes* ſunt moleſti hominis.

V. 44. Paucis familiariter utitur?

V. 45. *Haberes* &c. hinc apparet, hunc garrolum non eſſe Propertium, qui familiaritate Mæcenatis jamdiu fruebatur.

V. 46. Metaphora a Theatro deſumta. adjutor erat, qui adjuvabat actorem aut voce in declamatione, aut geſtu in mimis. Vide ep. 14. *ſi bene te*.

V. 47. Animadverte hujus garruli temeritatem; plurima ſibi tribuens homo poſcit, ut ante Mæcenatis conſpectum ſolummodo ducatur: ait, ſe ejus gratiam ſtatim initurum; ſuam fidem & clientelam ipſi duci ac patrono pollicetur. Horatius ejus ſtultitiæ per jocum velificatur.

Summosses omnes. Non isto vivitur illic,
Quo tu rere modo. Domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis. Nil mi officit, inquam,
Ditior hic, aut est quia doctior: est locus uni-
Cuique suus. Magnum narras, vix credibile. Atqui
Sic habet. accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis tantummodo, quæ tua Virtus,
Expugnabis; & est qui vinci possit: eoque
Difficiles aditus primos habet. haud mihi deero,
Muneribus servos corrumpam: non, hodie, si
Exclusus fuero, desistam; tempora quæram,
Occurram in triviis: deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Hæc dum agit: ecce
Fuscus Aristius occurrit mihi charus, & illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. Unde venis, &
Quo tendis? rogat, & respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet, male salsus
Ri-

V. 48. (V. Ind. *Mæcenas*.)

V. 55. *Eo*, i. adeo. *ideo difficiles aditus primos habet, quia est qui vinci possit*. Dacierius explicat τὸ *eo* pro *quamvis*. sed nullum adfert exemplum.

V. 56. Amicitia necessitudinem facilem postulat. Verum pericula multa in antecessum facienda sunt. Seneca ait: *post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum*.

V. 57. Hoc est hominis omni virtute destituti.

V. 58. Indigni homines soliciti sunt de quæritandis temporibus, quibus ad potentes viros accedant. per summam assiduitatem, animique abjectionem, importunitatemque omnes sibi sternunt vias ad illos adeundos, cum interea honestus vir rerum difficultate & impedimentis repellatur.

V. 62. Inhumane agit Aristius. Si enim dixisset, hoc mihi memoria excidit, simpliciter se purgasset, sed cum dicit, se bene rem meminisse, de qua acturus erat, & deinde levissima de causa & ridicula in aliud tempus eam differt, profecto omnes amicitiæ leges migrat.

V. 65. *Male*, i. improbe, nequiter, damnose *salsus*. fingebat

Ridens dissimulare: meum jecur urere bilis.
Certe nescio quid secreto velle loqui te
Ajebas mecum. Memini bene? sed meliori
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vis tu
Curtis judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Religio est. At mi: sum paulo infirmior, unus
Multorum: ignosces: alias loquar: Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi? fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. casu venit obvius illi
Adversarius, &, quo tu, turpissime? magna
Inclamat voce: &, licet antestari? ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus, clamor utrinque,
Undique concursus: sic me servavit Apollo.

gebat se non intelligere, quod egomet mihi vellem, & suam prodebat mentem maligno risu. Horatius ut ostendat, sortem incredibili modo sibi adversari in hac re, inducit Aristium amicissimum suum, & optimum virum, qui nolit suppetias ferre, cum facile potuerit, imo gaudeat Amici magno incommodo. hoc loco vis comica maxime nitet.

V. *69*. Pasqua Judæorum celebrabatur 37 Hebdomada anni Judaici, qui incipiebat a mense Septembri.

V. 70. *Oppedere* est peditu abigere.

V. 71. Hæc vox *religio* juxta Epicureos significat timorem inanem deorum, superstitionem. *unus multorum*, i. æque ac multi, pariter cum multis.

V. *76*. Ante testari. quum quis die dicta in jus non prodibat, occurrenti adversario jus erat eum pertrahendi ad Prætorem sumtis testibus iis, qui adfuerant.

V. 77. *Oppono*, i. offero, assentior tibi petenti. qui aliquem testem vocabat, extremam illi auriculam digitulis vellicabat, memoriæ causa. Si Vulpius hunc versum & duos præcedentes recte animadvertisset, veritus sane esset, ne Propertio suo injuriam faceret, dum illas suas conjecturas protulit. licet invidus fuisset Horatius, nunquam certe æquo animo passus fuisset Propertium Mæcenatis amicum *turpissimum* vocari, & in jus rapi.

V. 78. Salutem suam Apollini Poeta tribuit.

SATIRA X.

Suum de Lucilio judicium tuetur, & egregia scribendarum Satirarum præcepta adspergit.

NEmpe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? at idem quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem:
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cætera: nam sic

Et

Permulti Lucilii fautores sperabant, fore ut Poetam cogerent palinodiam canere Satiræ *Eupolis* atque *Cratinus*. sed tantum abest, ut suæ censuræ acrimoniam leniat, ut etiam Apologiam ejusdem Satiræ instituat, & a præjudicata veteri opinione in suam sententiam eos conetur adducere. Doctrinarum ubertas cum voluptatis dulcedine conjuncta necessariarum rationum vim sentiendam nobis exhibet. Cogimur dare manus tanto Auctori, eidemque relatam de nobis ipsis victoriam gratulamur tam utiliter victi. Hæc Satira post annum 723 peracta fuit, quo Cassius Parmensis occisus est; & ante annum 729, quo nondum edita in lucem fuerat Virgilii Æneis, vel anno 724, quo Georgica opera primum apparuerunt. Sed versus 38, ubi de Templo Apollinis Palatini agitur apponit annum 727, aut 728, quia illud templum dedicatum non fuit ante annum 726. hactenus Sanado. * sed cur inter tot Poetas doctissimos viros Tibullum illum suum, illum *sermonum suorum candidum judicem*, ut ait, non nominat? fortasse igitur obierat. obiit autem anno circiter 735. ergo post hunc annum scripta est hæc Satira. Sed, inquies, cur nullum verbum de Æneidos opere? quia judicio Horatii Georgica erant præstabiliora, ut fere omnes viri docti sentiunt. *

V. 1. Vivido brevique exordio rem totam ob oculos ponit. Poeta Lucilium arguerat de versificationis rapiditate, *currere versus*, & de negligentia, *incomposito pede*.

V. 5. In hac prima parte præposteram eorum opinionem refutat, qui putabant perfectas esse Lucilii satiras, quia risum movebant; liquido ostendit, opus poeticum hac sola in-

Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non ſatis eſt riſu diducere rictum
Auditoris, & eſt quædam tamen hic quoque Virtus:
Eſt brevitate opus, ut currat ſententia, neu ſe
Impediat, verbis laſſas onerantibus aures.
Ut ſermone opus eſt, modo triſti, ſæpe jocoſo,
Defendente vicem modo Rhetoris, atque Poetæ,
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſulto. Ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res.
Illi ſcripta quibus Comœdia priſca viris eſt,
Hoc ſtabant: hoc ſunt imitandi, quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, nec ſimius iſte,
Nil præter Calvum & doctus cantare Catullum.

At

ingenii qualitate fretum eſſe poſſe peſſimum; & niſi pulchrum ſit, & delectet, perfectum eſſe non poſſe.

V. 6. Vide præf. *de Mimis*.

V. 11. *Triſti*, i. gravi.

V. 13. *Urbani*, i. qui jocetur ſumma cum venuſtate. *τὸ parcentis viribus* refertur ad *τὸ Rhetoris & Poetæ, & urbani*. Priores duas virtutes in Juvenale reperies. eſt enim eloquens & poeta, ſed ejus cenſura declamationem potius, quam urbanitatem ſapit.

V. 14. *Riſus* (ait Quintil.) *rerum ſæpe maximarum momenta vertit*. Philoſophus contra vitia multum diſſerit, Satiricus ea acriter carpit, Orator omnibus orationis armis inſtructus ardenter oppugnat, Comicus ridiculo aggreditur, felicioreſque habet exitus, quam quilibet alii neceſſariis rationum momentis uſi.

V. 18. *Simius* &c. videtur Vulpio vocari Simius ab Horatio Propertius, quia non ſemel in ejus Poetæ elegiis Calvus & Catullus nominatur, & alter alteri adjungitur. hoc veriſimile eſt.

V. 19. Non reprehendit Demetrium, vel Propertium, quod caneret Catulli & Calvi inclytorum Poetarum opera, ſed quod his duobus exceptis alios contemtui habebat, vel quod, quæ ipſe producebat, opera, erant Catulli & Calvi velut quædam ſcruta, vel quod affectata & effeminata ratione utriuſque Poetæ modulamina imitabatur, ita ut *cantare Catullum* dicatur, quemadmodum alibi *ſaltare Cyclopa*; tandem quod ſæpe nominavit in ſuis carminibus hos duos poetas.

At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit. o seri studiorum! qui ne putatis
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? at sermo lingua concinnus utraque
Suavior: (ut Chio nota si commista Falerni est)
Quum versus facias. Teipsum percontor, an, ut quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriæque patrisque (Latine
Quum Pedius causas exsudet, Poplicola, atque
Corvinus) patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atque ego cum græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus
Post mediam visus noctem, quum somnia vera:
In sylvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Grajorum malis impere catervas.
Turgidus Alpinus, jugulat dum Memnona, dumque
Deffin-

V. 20. Secunda pars. refellit ea, quæ afferebant in medium Lucilii propugnatores.

V. 21. Qui lentos in studiis progressus facitis. Qui parum in studiorum cursu processit, sæpe ea in opere quopiam miratur, quæ faciliora sunt, & minus probanda; Sermo græcis latinisque verbis mistus ei videtur mirabilis. *qui ne*. elypsis. quasi dicat, an ii estis, qui putatis &c.

V. 22. (V. Ind. *Marius*) versus gratia dixit *Pitholeon* pro Pitholaus.

V. 25. Duo præcedenti objectioni respondet. Verba græca latinis permista non ferenda sunt in sermone soluto, multo minus in ligato; cum vituperandus sit Romanus, qui græcos solummodo versus facit. quod sane excusatione aliqua dignum est.

V. 27. *Latine*, i. latina lingua. τὸ *causas* generatim sumitur. Pedius Orator erat filius ejus, qui fuit consul anno 711. Valerius Poplicola præclarus Orator. perperam aliqui unum virum faciunt Pedium Poplicolam.

V. 30. Canusi incolæ latina & græca verba retinebant.

V. 32. Hoc somnio tacite monet Romanos, ut latina linguâ scribendo græcis numero & laude se æquent.

V. 36. (V. Ind. *Furius*) *jugulat*. Bibaculi stilum imitatur

Deffingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,
Quæ nec in æde fonent certantia Judice Tarpa,
Nec redeant iterum, atque iterum fpectanda Theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente fenem, comis garrire libellos
Unus vivorum Fundani. Pollio Regum
Facta canit pede ter percuffo: forte epos acer,
Ut nemo, Varius; ductu molle atque facetum
Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camœnæ:
Hoc erat, experto fruftra Varrone Atacino,
Atque quibufdam aliis, melius quod fcribere poffem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere aufim
Hæ-

tatur de induftria, ut tumidum Poetam fignificet, verborum ampullis uti pariter voluit, & vim inferre dictionibus. Bibaculus tragœdiam fcripfit, cujus argmentum erat mors Memnonis ab Achille occifi.

V. 37. Fingit. origines Rheni defcripferat Furius in Poemate, fed fœdo penicillo. vel ille dixit luteum caput, ut fignificet fanguine hoftium fœdatum. improprie.

V. 38. In templo Apollinis Palatini, quo conveniebant Poetæ, & de præmio certabant. Metius Tarpa unus erat ex judicibus ob hanc rem in primis conftitutus. fatetur Horatius fe Satiras non recitare in ea æde, non negat tamen Odas.

V. 41. Comœdias fcribere.

V. 42. Pollio tragœdias fcripfit.

V. 43. Apud veteres in verfibus jambicis & Choraicis cujufque pedis menfura uno ictu fignificabatur. Verfus jambicus Tragœdiæ cum fex pedibus conftaret, ideo fex tempora feu ictus continebat, quæ ad numerum trium redigebantur.

V. 44. Ordo eft: *Varius acer, ut nemo, canit epos.*

V. 44. Quafi lana ductu mollis. *facetum*, i. elegans, charitum plenum. Loquitur de Bucolicis, & Georgicis, & miffam facit Æneida, quæ jam prodierat, quia Virgilius altero fcribendi genere maxime omnium delectatus eft, & Hefiodum vicit.

V. 46. *Hoc*, i. fcribendi genus.

V. 48. Lucilio inferior, qui fuit pene inventor Satiræ. Satira Ennii differebat a Satira Lucilii. Diomedes ait: „ Satira eft nomen maledicum, & ad carpenda hominum
„ vitia

Hærentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, ſæpe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. age quæſo,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet verſus Enni gravitate minores,
Quum de ſe loquitur, non ut majore reprenſis?
Quid vetat & noſmet Lucili ſcripta legentes
Quærere, num illius, num rerum dura negarit
Verſiculos natura magis factos, & euntes
Mollius? ac ſi quis pedibus quid claudere ſenis
(Hoc tantum) contentus amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cœnatus, Hetruſci
Quale fuit Caſſi rapido ferventius amni
Ingenium: capſis quem fama eſt eſſe libriſque
Ambuſtum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis & urbanus, fuerit limatior idem,
Quam rudis, & Græcis intacti carminis auctor,
Quamque Poetarum ſeniorum turba: ſed ille
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in ævum;
Detereret ſibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, & in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.
Sæpe ſtilum vertas, iterum quæ digna legi ſint,

 Scri-

„ vitia compoſitum, quales ſcripſerant Lucilius, Horatius, „ Perſius. Sed olim Carmen, quod ex variis poematibus „ conſtabat, ſatira vocabatur, quales ſcripſerunt Pacuvius & Ennius. „

V. 51. Dixit, Lucilium fluere lutulentum, non in omnibus verſibus, ſed in pleriſque. *age quæſo*: ait, in operibus præſtantium Scriptorum ineſſe aliquid, quod reprehendas, non tamen propterea te iis anteferre debes, nec delere quæ optima ſunt.

V. 57. *Rerum*, i. argumenti.

V. 59. Quid vetat & nos quærere, num Lucilii ingenium, num propoſitum argumentum negaverit verſus politiores, & meliores, quam ſi quis ſine cura, & lima extemporales exametros fundat?

V. 64. *Fuerit*. figura *conceſſio*.

V. 66. Quam auctor carminis rudis, & græcis intacti.

Scripturus, neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus, an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere: ut audax
Contemtis aliis explosa Arbuscula dixit:
Men' moveat cimex Pantilius, aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliusque,
Valgius, & probet hæc Octavius, optimus atque
Fuscus, & hæc utinam Viscorum laudet uterque:
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te Messala tuo cum fratre, simulque
Vos Bibule, & Servi: simul his te candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos, & amicos
Prudens prætereo, quibus hæc sunt qualiacumque
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra: Demetri, teque Tigelli
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

I puer,

V. 76. *Equites* lato modo, pro iis omnibus, qui plebi antistant.

V. 77. Arbuscula comica celebris, de qua Cic. lib. 4. Ep. ad Atticum.

V. 78. *Cruciet*, i. non hoc me moveat, cruciet, quando &c.

V. 81. Omittit Propertium. hinc colligere licet, ait Vulpius, Horatium & Propertium mutua invidia flagrasse. Sed cum versu 87 dicat *complures alios*, inter hos etiam illum Vatem Elegiacum annumerandum fortasse censuit. Sed Tibullum, si vixisset, silentio non debuerat prætermittere.

V. 82. Octavius erat Poeta, & historicus. Visci erant duo Fratres Senatores, & Poetæ inclyti, quorum alter vocabatur Viscus Taurinus. Bibulus fortasse erat filius M. Calpurnii Bibuli, qui fuit consul anno 695. Servius erat filius Servii Sulpitii, qui Ciceronis amicitiam per familiares litteras colebat. Furnius non tam in re litteraria, quam militari excellebat. fuit consul anno 737.

V. 84. Ambitu, Dacierius vero: adulatione.

I puer, atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

V. 92. Poeta triumphat. in exordio Satiræ confirmat, quod dixerat in Satira *Eupolis* &c., in fine vero indicat ſe velle in ſua ſententia perſiſtere. *ſubſcribe*, i. adde hanc ſecundam priori Satiræ *Eupolis*.



Q. HORATII FLACCI
SERMONUM SEU SATIRARUM
LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Fingit se cum Trebatio deliberare, utrum a scribendis Satiris abstineat.

DIALOGUS.

Horatius & Trebatius.

SUnt, quibus in Satira videar nimis acer, & ultra
Le-

Satira hæc tota quanta est pura putaque est irrisio, quamvis videatur gravitatis plenissima. Satiricus Poeta magnum terrorem incutit iis, qui vitiis tenentur. Primi, quos Horatius in scenam protulit, id maxime sensere, quos secuti sunt etiam mediocres homines, demum terror omnium occupavit animos. Alii dicebant, nimis acrem esse Horatii censuram, & ultra modum positam, hanc licentiam periculoso esse exemplo, legibusque ac bonis moribus adversari; alii ejus versificationem cavillabantur; esse eam incuriosam, enervem, miserrimo versificatore dignam. Circumventus undique Horatius tot hominum turba secum meditatur, an Satiras scribere pergat; idcirco consultum adit celebrem jurisconsultum non minus senectutis, quam eximiæ eruditionis, ac diuturnæ rerum experientiæ commendatione conspicuum. Jurisconsultus probare conatur, Satiricum scribendi genus omittendum esse. Respondet Poeta, se id facere animi relaxandi causa, se rebus arduis pertractandis minime idoneum esse, ingenii vi ad Satiras facti-

Legem intendere opus: sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat: similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, præscribe. *Tr.* quiescas. *Hor.* ne faciam, inquis,
Omnino versus? *T.* ajo. *H.* peream male, si non
Optimum erat. verum nequeo dormire. *T.* ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,

ctitandas, quam ad aliud procliviorem esse, tandem se venia digniorem esse Lucilio, qui multo acriori sale urbem defricuit. hujusmodi aspectu hæc Satira seria videtur esse. Ridiculum autem ex eo patet, quod consilium petere aggreditur, utrum ab ea re abstinere debeat, a qua nunquam sibi abstinendum esse statuerat; & quod post deliberationem uterque in sua sententia persistit. tandem quod, dum Trebatius a scribendis Satiris absterrere conatur Horatium, Horatius ipse in eum Satiram sane lepidissimam agit. Inducit enim tantum virum modo juris formulas gravi ore jactantem, modo medicorum aphorismos, & modo satiricas sententias. Verum hac vivida & salsa dicendi ratione Poeta usus est, qua callidius obtegeret satirica tela, quæ in obvios sibi quosque ridiculos homines undequaque jaculatur. Sermo est de Gallis & Parthis. Anno 727 Messala de Gallis Aquitanis triumphavit. Jam tunc Augustus orientem versus profectus est eo consilio, ut a Parthis aquilas Romanas reciperet; quod factum est anno 732. ergo huic Satiræ adscribetur annus 732, vel 733

V. 1. Suas habet leges Satira. Societatis humanæ interest, Satiricum Poetam bile transversum non agi: lex duodecim Tabularum mortem minabatur ei, qui alterius famam proscindebat. Augustus hanc legem, quæ jam pene interciderat, renovavit. Rosellus opponit *τὸ acer. τῷ, sine nervis*, ut Poeta significet, stilum Lucilii esse diffusum, ac languidum, & Satiras suas stilo nimis presso scriptas putari a Lucilii fautoribus.

V. 8. Duo præcipit Trebatius, quæ ipsemet in deliciis habebat, nempe natationem, & compotationem. Horatius jocatus fuerat; finxerat enim se ex insomnia laborare. Trebatius bonus vir verba Horatii ita, ut proprie sonant, accipit, & repente agit Medicum.

Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Cæsaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. *H.* cupidum, pater optime, vires
Deficiunt. neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.
Treb. Attamen & justum poteras, & dicere fortem
Scipiadam, ut sapiens Lucilius, *H.* haud mihi deero,
Cum res ipsa feret. Nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem;
Cui male si palpere, recalcitret undique tutus.
Treb. Quanto rectius hoc, quam tristi lædere versu
Pantolabum Scurram, Nomentanumque Nepotem?
Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, & odit.
Hor. Quid faciam? saltat Millonius, ut semel icto

Ac-

V. 12. * Hic locus stili sublimitate præfulget. splendor rerum gestarum Augusti vim, æstum, & nobilitatem τῇ φαντασίᾳ repente injecit. ex hac laude inopinata sibi vehementer placere debuerat Augustus, & Horatio facile veniam dare *.

V. 15. (V. Ind. *Octavius*.) Dacierius errat, qui putat hic agi de Pacoro occiso a Ventidio anno 717. Pacorus nunquam fuit Parthorum Rex, deinde Ventidius non fuit dux Octavii, sed Antonii.

V. 17. (V. Ind. *Lucilius*.) Porphirio ait, Lucilium vitam privatam Scipionis, Ennium vero bella descripsisse. Dacierius contra, Lucilium non potuisse vitam majoris Africani scribere.

V. 19. Significat a Cæsare suos versus auditum non iri, vel quia ille operam dat majoris momenti rebus, vel quia ita intendit animum, ut terrorem incutiat iis, qui opera sua offerunt.

V. 24. Millonius Romæ vir nobilis fuit, eum sugillat, quod veluti amens vix hausto vini poculo saltare aggrediatur. *ut semel* &c. Synecdoche: effectus pro causa, ebriis caput æstuat, lucernæ multiplicantur &c.

Accessit fervor capiti, numerusque Lucernis.
Castor gaudet equis, ovo pregnatus eodem
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus, olim
Credebat libris: neque, si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene. Quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus, an Appulus, anceps;

V. 29. *Melioris*. fortasse ironice.

V. 30. Hic locus sagacis ingenii index est locupletissimus. Satirica enim malignitas laudum integumento quam bellissime subest. Lucilius prodit tanquam vir rari ingenii, laboriosus, in utraque fortuna semper æquus. Sed si propius exploretur, est vir acri judicio carens; qui se poetam esse credit, quod innumeros versus fundit; qui ingenium suum temperare nequit, & temporibus uti; qui inæqualem stilum adhibet, & venæ cursum identidem interrumpit; qui tandem sine delectu chartis mandat, quidquid sibi venit in mentem, & permultis nugis suos versus infarcit. Haud equidem juraverim, vere ac diligenter Lucilium hoc modo esse depictum. Certe Horatius tueri constanter volebat, quidquid contra Lucilium alibi dixerat. Revera cum animus ita affectus est, ægre ab exaggeranda re cavet. Verum, si generatim loquamur, pro Flacco stabat ratio.

V. 31. Putant interpretes hic agi de bono vel malo rerum statu Lucilii. Sed ex fragmentis ejus, quæ restant, fere nunquam de se ipso, vel de rebus suis loquitur. Bentlejus, quem sequitur Sanado, vertit: nusquam alio, quam ad libros decurrens, seu bene ei cesserat res in scribendo, seu male.

V. 32. Lucilius nunquam suos versus limabat, æquo animo vel iniquo scribere pergebat. hinc fit, ut, qui ejus versus legit, ingenii ejus inæquales vices sentiat, dies prosperos & infelices ejus dignoscat. Tabellæ votivæ apud Romanos tristibus æque, ac prosperis eventibus inserviebant.

V. 34. Jocari pergit singulari sane ratione. Lucilius hoc

Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus
Missus ad hoc, pulsis (vetus est ut fama) Sabellis:
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem; & me veluti custodiet ensis
Vagina tectus: quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater, o rex
Juppiter! ut pereat positum rubigine telum,
Nec quisquam noceat Cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
Flebit, & insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur, & urnam;
Ca-

vitio tenebatur, ut quibuslibet rerum speciebus vel levissimis, quae occurrerent menti, pertractandis immoraretur, hinc a re proposita saepe quam longissime aberrabat. Horatius ut hoc ejus vitium maximo in lumine collocet, & deridendum objiciat, Luciliana aura navigare aggreditur, ejusque more modoque hunc locum profert. satis salse id fecit. quod nisi animadvertetur, pueriliter quidem & ab re actum videatur.

V. 36. *Sabellis*, i. samnitibus, Hirpinis. totum pro parte.

V. 37. Ordo est: *missus ad hoc, ut ne hostis Romano agro incurreret per vacuam regionem, sive Appuli sive Lucani bellum aliquod incuterent*. ergo pro τῷ *hostis* non intelligendi Samnites, ut putat Dacierius.

V. 39. Hoc dicendi modo se purgat, pariterque eos solatur, quos in Satiris pupugit.

V. 47. Forte Cervius erat quidam ea aetate accusator, delator. urna judiciaria ea est, ubi judices suffragia ponebant. Albutius Canidiae pater improbus homo erat; Furius erat Senator lucri avidus & vindictae.

Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum:
Grande malum Furius, si quid se judice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperitet natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
Monstratum? Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem. *T.* nil faciet sceleris pia dextera. *H.* mirum?
Ut neque calce lupus quemquam, nec dente petit bos,
Sed male tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Expectat, seu mors atris circumvolat alis:
Dives, inops; Romæ, seu fors ita jusserit, exul,
Quisquis erit vitæ, scribam, color. *T.* o puer, ut sis
Vitalis metuo, & majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. *H.* Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere & pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis? num Lælius, & qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut læso doluere Metello?
Fa-

V. 49. Si quam rem certes, si quam litem habeas.

V. 57. Poeta agebat annum ætatis suæ 44.

V. 62. *Frigore ferire* non significat occidere, sed in alicujus indignationem incurrere. *Majorum*, i. optimatum.

V. 66. Africanus major.

V. 66. Lucilius carpsit Mutium Scævolam, Titum Albutium, Torquatum, M. Carbonem, L. Tabulum, P. Gallonium, C. Cassium, L. Cottam, Clodium Asellum, Q. Opimium Tuditanum &c.

Famoſiſque lupo cooperto verſibus? atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim,
Scilicet uni æquus virtuti, atque ejus amicis.
Quin ubi ſe a vulgo, & ſcena in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli:
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti. Quidquid ſum ego, quamvis
Infra Lucili cenſum, ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixiſſe invita fatebitur uſque
Invidia, & fragili quærens illidere dentem,
Offendet ſolido. Niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis. *T.* equidem nihil hic diffingere poſſum.
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt,
Ju-

V. 71. Nota eſt Amicitia C. Lælii, & Scipionis. Lucilius verſibus laceravit famam Q. Cæcilii Metelli Numidici, cujus Patruus fuit Metellus Macedonicus; & P. Rutilii Rufi, qui fuit conſul anno *664*; & P. Cornelii Lentuli Lupi, qui conſul fuit anno *597*, qui damnatus fuit de repetundis, & nihilominus factus fuit Cenſor. De eo ſcribit Perſius in Satira prima.

V. 74. Olera & legumina erant lautiſſimæ eorum temporum epulæ, quibus affluebant menſæ; nam eſus carnium quam parciſſimus lege Fannii permittebatur. Coqui tam belle legumina condiebant, ut palatum ad ea pruriſceret. Scipio & Lælius cum Lucilio privata in umbra puerili more nugabantur. Graves magiſtratus noſtrorum temporum idem facere perhorreſcerent. Non cuilibet datum eſt ita familiariter agere, ut nunquam ſeſe abjiciat.

V. 77. Lege fabulam limæ & viperæ lib. 4. Phædri. metaphorice.

V. 79. Non poſſum non probare, quidquid dicis.

V. 82. Trebatius citat legem 12. Tabularum: *ſi quis occentaſſit malum carmen, ſive condidiſſit, quod injuriam faxit, flatitiumve alteri, capital eſto*; juriſconſultus nullum validius rationis momentum afferre poterat. Horatius cum
illud

Judiciumque. *H.* esto. si quis mala: sed bona si quis

Judice condiderit laudatus Cæsare? si quis

Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?

Treb. Solventur risu tabulæ, tu missus abibis.

illud refellere non posset, eludere conatur jocando. Huic voci *malum* diversum tribuit sensum a legis. vide E. II, 1, 153. fortuito hoc dicere videtur, sed fortasse significat invidis hominibus, sua Opera ab Augusto probari.

V. 85. Integris moribus præditus.

V. 86. Lacerabuntur tabulæ litis, libelli. salse dictum per Trebatium.

S A T I R A II.

De Frugalitate.

QUæ virtus & quanta, boni, sit vivere parvo, (Nec

De frugalitate Philosophi omnes differunt. Epictetus, Seneca, aliique Zenonis asseclæ multa ingeniose magis, quam vere hac super re pronunciarunt. Horatius lepidissima utitur ratione, qua facillime propositam cuique sententiam persuadeat. Ait, frugalitatem satis per se ipsam suppetere appetitui explendo, ergo etiam parandæ mensæ; additque eam magna afferre commoda animo, & corpori. Simplices hæ duæ propositiones hanc Satiram componunt. Eas afferentem inducit salse hominem rusticum, qui licet omnibus Philosophiæ, nullis tamen rationis luminibus caret. Quippe sua cogitata non tanquam ex tripode, sed ex intimo ingenui animi sensu depromit, eoque novitatis condimento adspergit, ut nihil supra. ex v. 114 perspicitur, factam fuisse hanc Satiram post annum 725, antequam Augustus, ut ait Suet. c. 30, „ ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumtas refecit, easque & cæteras opulentissimis donis adornavit „ &c. fortasse eo tempore, quo, ut ait idem Auctor c. 29. „ Augustus cæteros Principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis, & excultis urbem adornarent. „

V, 1. Horatius mente Epicurum sequebatur, animo Arist-

(Nec meus hic sermo, sed, quæ præcepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva)
Discite non inter lances, mensasque nitentes,
Cum stupet insanis acies fulgoribus, & cum
Adclinus falsis animus meliora recusat:
Verum hic impransi mecum disquirite. cur hoc?
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito, vel si Romana fatigat
Militia assuetum græcari, seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, pete cedentem aera disco,
Cum labor extuderit fastidia; siccus, inanis
Sperne cibum vilem: nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. foris est promus: & atrum
Defendens pisces hyemat mare. Cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet: unde putas, aut
Qui partum? non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quære
Su-

stippum. Primum honore, alterum amore prosequebatur. Idcirco ipsemet frugalitatem non propugnat.

V. 3. Sine norma aliqua, & disciplina.

V. 9. Duriusculus hujus loci Sermo. tria proponit, quibus appetitus cibi repletione retusus acuatur; nempe venari, equos domare, militiam exercere, en sensus: fac, tu fatigeris venando, domando equum, militiam exercendo, aut si assuetus mollibus cibis edendis tales labores reformidas, lude pila, disco; voluptas, quæ hinc enascitur, oblivionem laboris inducit: cum labor acuerit appetitum, & cum fames & sitis te torqueat, sperne, si potes, cibum vilem, noli bibere aliud vinum, nisi falernum Hymettio melle mistum. promus condus abest, vel dicet, pisces nulli præsto sunt; ergo oportet parco cibo utaris. Unde putas hoc fieri posse, aut quomodo? ecce &c.

V. 11. Helluari, ac perpotare græcorum more.

V. 17. Hyeme vexatur, procellis inhorrescit.

V. 19. Sunt aves, quarum pretium est in nidore. Vera edendi voluptas non inest in pretio, & in nidore epularum.

V. 20. Poetice ad significandam opiparam dapem. constabant olim fabis, pisis, oriza, & aliis leguminibus.

Sudando: pinguem vitiis, albumque neque oſtrea
Nec ſcarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum: quia veneat auro
Rara avis, & picta pandat ſpectacula cauda:
Tanquam ad rem attineat quicquam. Num veſceris iſta,
Quam laudas, pluma? coctove num adeſt honor idem?
Carne tamen quamvis diſtat nihil hac magis illa, &
Imparibus formis deceptum te patet, eſto.
Unde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet? ponteſne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci? laudas inſane trilibrem
Mullum: in ſingula quem minuas pulmenta, neceſſe eſt,

Du-

V. 21. *Album*, i. pallentem intemperantia.

V. 22. *Lagois* erat fortaſſe peregrina avis, quæ colorem, & ſaporem leporinæ carnis habebat, Romæ magni æſtimabatur.

V. 23. Cum tu ex colore de rebus judices, nunquam tibi perſuadebis, Gallinam optimam eſſe æque ac pavonem eſu. quia rarior eſt pavo, & carior.

V. 24. Suavi pavonis ſapore perluere, & demulcere.

V. 27. *Rem*, i. ad carnis ſaporem, cibique gratiam.

V. 29. *Quamvis*, i. tametſi, non quantumvis, refertur ad τὸ *diſtat*, & ad τὸ *patet*.

V. 30. *Eſto*. h. e. ſed tibi concedo præferendum pavonem gallinæ.

V. 31. Unde tibi conceſſum; ut ſentias &c. Horatius contra eos hic diſputat, qui de cibis judicabant non ex palato, ſed ex oculis. præterquamquod difficile eſt ex ſapore diſcernere piſcem captum in interiori vel inferiori Tiberis parte. Præterea lupi marini in Tiberi capti, quos hujuſmodi helluones tanti æſtimabant, erant multo minus ſani, quam ii, qui in mari capiebantur, & ab iiſdem contemnebantur.

V. 34. *Mullum*, *triglia*. pulmentum vere non ſignificat avis vel piſcis partem aliquam, ſed jus, hallec, garum,

quo

Ducit te species, video; quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpiis gula digna rapacibus, at vos
Præsentes Afri coquite, horum obsonia: quanquam
Putet aper Rhombusque recens, mala copia quando
Ægrum sollicitat stomachum: cum rapula plenus,
Atque acidas mavult inulas. necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum. Nam vilibus ovis,
Nigrisque est oleis hodie locus. haud ita pridem
Galloni prætoris erat acipensere mensa
Infamis. quid? tum rhombos minus æquora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque Ciconia nido:

Donec

quo condiebantur obsonia. Teste Galieno ex hepate, & capite Mulli mistis vino fiebat garum, quo spargebatur coctus Mullus, & in partes cæsus, ut facilius combiberet garum.

V. 35. *Species*, i. magnitudo.

V. 36. *Illis*, i. lupis, *his*, scilicet *i. barboni*.

V. 38. *Porrectum*, i. mullum. hi quatuor versus omni admiratione dignissimi sunt. primus pedum, temporumque tarditate animo objicit imaginem rei, quam enunciat; alter comparationem continet naturalem, & energicam helluonis cum harpiis; tertius indignationem ad vivum exprimit; quartus inopina retractatione pondus addit comparationi, & imprecationi. versus ille *jejunus venter* delendus videtur tanquam Horatio indignus. fortasse textui insertus ab exscriptore aliquo, vel Grammatico.

V. 42. Fastidium creat stomacho, qui postea quærit rapula &c.

V. 43. *Acidas*, i. acres, amaras, quæ stomachum roborant.

V. 47. Gustus arbitrarius ad certum tempus durat, naturalis vero semper. Rhombi, ait, non rariores erant, quam Acipenseres Gallonii ætate, sed hujus hominis palatum Acipenseres præoptavit. Alter helluo ei similis rhomborum & Ciconiarum usum latius propagabit, & fortasse mergi manent alium stultiorem, qui eos acipenseribus & Ciconiis præferat.

Donec vos auctor docuit prætorius. ergo
Si quis nunc mergos ſuaves edixerit aſſos:
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus a tenui victu diſtabit, Ofello
Judice. Nam fruſtra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravus detorſeris. Avidienus,
Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret,
Quinquennes oleas eſt, & ſylveſtria corna:
Ac, niſi mutatum, parcit defundere vinum, &
Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natales, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret) cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu ſapiens utetur? & horum

Utrum

V. 49. Ciconiæ in uſu eſſe cœperunt Auguſti ætate. Quidam Aſinius Sempronius, vel ut alii volunt, Rutilius Rufus judicavit titillandæ hominum gulæ eas aptas eſſe. populus Ciconiarum mortem ultus eſt ab ineunda prætura prohibens earumdem interfectorem. Ad hanc Præturæ repulſam refertur Poetæ jocus in voce *Prætorius*. Porphirio hos quatuor verſus elegantes profert hac ſuper re.

,, Ciconiarum Rufus iſte conditor
,, His eſt duobus elegantior Plancis,
,, Suffragiorum puncta non tulit ſeptem:
,, Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

V. 52. Intemperantia a frugalitate æque diſtat, ac nimia victus tenuitas, & cultus illiberalitas, de qua nunc agere orditur.

V. 54. * Roſellus, qui legit cum MSS. omnibus *pravum* quod nomen ſubſtantivum facit, ait, *ſe detorquere* non eſſe latinum, & Bentlej lectionem ſcribentis *pravas* rejicit. ſane errat Roſellus. *

V. 57. Vitiatum, corruptum.

V. 58. Ordo eſt: *ipſe bilibri cornu inſtillat caulibus oleum, cujus odorem perferre nequeas.*

V. 60. Vaſculo corneo, quod duarum olei librarum capax erat, quodque diu duraturum erat. *ipſe*, quia nullam habebat aliis fidem. *repotia*, diem proxime ſequentem nuptias, quo reliquiæ heſterni convivii comedebantur; ſic dicta, quia iterum potaretur. *feſtos*, i. alios, qui ex diebus feſtis ſunt. *albatus*: veteres alba veſte induti menſæ accumbebant.

Utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis, ajunt.
Mundus erit, qui non offendat fordibus, atque
In neutram partem cultus miser. hic neque fervis,
Albuti fenis exemplo, dum munia didit,
Sævus erit, nec fic, ut fimplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc victus tenuis quæ, quantaque fecum
Afferat: in primis valeas bene. nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius efcæ,
Quæ fimplex olim tibi federit. at, fimul affis
Mifcueris elixa, fimul conchylia turdis:
Dulcia fe in bilem vertent, ftomachoque tumultum
Lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis
Cœna defurgat dubia? quin corpus onuftum
Hefternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque adfigit humo divinæ particulam auræ.
Alter ubi dicto citius curata fopori
Membra dedit, vegetus præfcripta ad munia furgit.
Hic tamen ad melius poterit tranfcurrere quondam:
Sive diem feftum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubive

Acce-

V. 64. Sapiens eatenus mundus erit, qua non offendat fordibus. proponit munditiem non fordidam.

V. 65. Modum fervans duo alia vitia effugiet. non erit mifere aut avarus, aut prodigus.

V. 66. Fortaffe eft filius Albuti. hic nimium cultus ftudium oftentabat in parando convivio. notus eft in Satira Lucilii. Nævius contra cultus negligentiam oftendebat. *didere munia*, i. munia fingulis deftinare.

V. 72. Tò *fimplex* opponitur τῷ multiplex. *federit*, i. quod facile concoqui poteft, optime digeri.

V. 75. Pituita eft frigida, & humida.

V. 76. Ubi dubites, quid fumas potiffimum. Terent. in Phorm. Act. 2. Sc. 1.

V. 79. *Curata*, i. parco cibo refecta, recreata.

Accedent anni, & tractari mollius ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer & validus præsumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant; non quia nasus
Illis nullus erat: sed, credo, hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset?
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? grandes rhombi, patinæque
Grande ferunt una cum damno dedecus. adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
As laquei pretium. jure, inquis, Thrausius istis
Jurgatur verbis. ego vectigalia magna,
Divitiasque habeo tribus amplas regibus: ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum recte tibi semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus: uterne

V. 86. Sumis ante ætatem & occasionem.
V. 90. *Commodius*, i. melius erat veteribus.
V. 99. *Jungatur*, passive. *vectigalia*, reditus. Objectio. homo pauper si nimium gulæ indulgeat jure reprehendi potest, non autem qui abundat opibus.
V. 100. Respondet, divitias, quæ supersunt necessariis vitæ commodis insumendas esse in privatæ reique publicæ utilitatem.
V. 102. *Indignus*, qui indigne, & immerito incidit in paupertatem.
V. 106. Ofellus in eadem navi fuit atque Virgilius, Tibullus, & Propertius. Eorum agri ab Octavio distributi sunt in milites veteranos, qui contra Brutum, & Cassium

Ad casus dubios fidet tibi certius? hic, qui
Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum:
An qui contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore, & gnatis fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quicquam, præter olus fumosæ cum pede pernæ.
Ac, mihi seu longo post tempore venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus: bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo, atque hædo: tum pensilis uva secundas,
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat, culpa potare magistra:
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis.
Sæviat, atque novos moveat fortuna tumultus,

Quan-

in prælio Philippico pugnaverant. Ofelli prædia data cuidam Umbreno, qui postea Ofello ipso villico usus est. Antequam hi agri dividerentur, metati sunt.

V. 115. Quum dives eram, solebam edere diebus profestis &c.

V. 118. Qui terræ colendæ operam dare non poterat propter imbres.

V. 120. Uva suspensa laquearibus totam hyemem perduratura.

V. 121. Crasso ficu, ponderoso. hinc Lucretius *femina gemina*, i. corpulentior.

V. 122. Potare citra culpam, culpa tenus, ita ut sola culpa potationem moderetur, & coerceat. * puto textum corruptum in hoc esse, & in sequentibus duobus versibus. *

V. 123. Ita surgeret, ut pura mente Dea colebatur. *explicuit*, i. explicabat. tribuit Cereri, quod est Bacchi, quia in hujus Deæ cultum honoremque bibebant.

V. 125. Minus nos divites fuimus, & minus pingues?

Quantum hinc eminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit. nos expulit ille;
Illum aut nequicies, aut vafri inscitia juris,
Postremum expellet certe vivacior hæres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius; sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Martiaque adversis opponite pectora rebus.

V. 130. Jus vafrum significat vaferrimas fori technas & strophas. Sat. 3. lib. 1. Alphenus vocatur *vafer*, qui apprime callebat omnes controversiarum nodos, solutiones, effugia, offendicula.

S A T I R A III.

Collocutus cum Horatio Damasippus hoc Stoicæ Philosophiæ paradoxum probat? Omnes propemodum homines insanire, Philosophantem vero inducit Stertinium.

Dam. Sic raro scribis, ut toto non quater anno

Ad singulos fere mortales aliquam partem pertinet hæc Satira. Si suam quisque partem sibi non sumit, ab aliis velit, nolit, accipere cogitur. Eo spectat Horatius, ut evincat omnes homines insanire. Hæc propositio per se patum grata est. idcirco quemdam inducit loquentem, qui se Philosophum esse putabat, quia promissam barbam ferebat, & memoria tenebat, & docebat stoicæ scholæ dogmata. Est veluti Misanthropos, qui de mortalibus omnibus acerrime judicat. Est quidam stultus, qui scite probat, cæteros esse stultos, & ostendit, se in eorum numero existere. Si capitis sani partus esset hæc Satira, perfrigida sane videretur. Plura exempla veluti quædam tabulæ, quæ referunt varias hominum cupiditates, probant propositionem.

Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi, quod vini, somnique benignus
Nil dignum sermone canas. quid fiet? at ipsis
Saturnalibus huc fugisti sobrius. ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe. *H.* nil est,
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis

Hæ tabulæ exquisitum judicium de rerum natura indicant Sed quod maxime commendat opus hoc, est mira poetæ dexteritas in variandis rerum descriptionibus, & coloribus; serius, hilaris, lepidus, scurra quoque impetum facit, delectat, mulcet, exhilarat quoscumque vult, & ita præclara documenta cujusque animo combibenda præbet. Loquentem inducit Damasippum, Damasippus Stertinium, Stertinius varium hominum genus, uterque vero veluti furore corripi in dicendo videtur. ex versu 308 licet colligere istam Satiram conditam esse anno 720, cum Horatius ageret ætatis annum 31, vel 32. Dacierius vero multo serius annum adponit. Verum non est verisimile Damasippum, de quo Cicero loquitur, adhuc vixisse postremis Horatii annis.

V. 1. Injuria Horatio exprobrat Damasippus scribendi tarditatem. Illustres Poetæ cum bene animo adfecti sunt, tunc versus componunt. Ridiculum sane est, Mercatorem ad extremam rerum desperationem redactum repente Philosophum agere, præcepta dare Horatio viro tam emunctæ naris.

V. 2. Antiqui exarabant litteras charta pergamena. *retexens*, i. pluries poliens, limans, corrigens scripta tua. Aliqui alterum opus libentius conficerent, quam factum expurgarent. Verum non minus periculosum est multum corrigere, quam nihil prorsus. Qui limat opus, quidquid pravi est, abradit, sed operis nervos debilitat. Sedatus corrigentis animus Scriptoris ignem restinguit.

V. 3. Tempus terens in bibendo, & dormiendo.

V. 4. *Quid fiet?* qua re valebis? vel, quid te tam pigro ad scribendum fiet?

V. 7. Frustra iram exsero in calamos, & in parietes innocentes, quos Numina irata vatum arbitrio tradiderunt. Qui ad puteum sedes inter libros, jam calamum & papyrum sumis, & bene vel male opus ordiris; sæpe mentem tuam ad idem progrediendum accendis; jam ἡ φαντασία paulatim incalescit; ubi pauca scripseris, vena interim tumescit,

Iratis natus paries Diis, atque poetis.
Dam. Atqui vultus erat multa & præclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere? Quid? tu
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer. Vitanda eſt improba Siren
Deſidia: aut, quidquid vita meliore paraſti,
Ponendum æquo animo. *H.* Di te, Damaſippe, deæque
Verum ob conſilium donent tonſore. Sed unde
Tam bene me noſti? *D.* Poſtquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo,
Excuſſus propriis. Olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes laviſſet Siſyphus ære,
Quid ſculptum infabre, quid fuſum durius eſſet.
Callidus huic ſigno ponebam millia centum
Hortos, egregiaſque domos mercarier unus
Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriali
Impoſuere mihi cognomen compita. *H.* Novi,
Et miror morbi purgatum te illius. *D.* Atqui

ſit, & late exundat. Si hujuſmodi apparatus irriti fuerint, jam iraſceris, puteum verberas, & muros, perinde ac ſi hæc inanima in cauſa eſſent, cur ſterilis fores.

V. 13. Acute dictum. *virtute*, i. labore. ut *vita melior* in verſu ſequenti eſt vita laborioſa.

V. 21. *Ære*, i. concha, in qua Siſyphus ſe laverit. ſpecies pro genere. pro quolibet vaſe antiquo & raro.

V. 22. Impolite, imperite. Durius eſt opus, ſi partes inter ſe invicem concentum non efficiant; ſi membra & nervi, ut ita dicam, minime flexiles ſint.

V. 23. Centum millia minorum ſeſtertiorum.

V. 25. Mercurio dicatum eſt templum anno 259; & collegium inſtitutum eſt Mercatorum, qui vocabantur Mercuriales.

Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri, capitisve dolore:
Est lethargicus hic quum fit pugil, & medicum urget.
Hor. Dum ne quid simile huic, esto, ut libet. *D.* o bone, ne te
Frustrere, insanis & tu, stultique prope omnes:
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Descripsi docilis præcepta hæc, tempore, quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen; dexter stetit, &: *S.* cave faxis
Te quicquam indignum; pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere, hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, & cujusque inscitia veri
Cæ-

V. 28. *In cor*, i. in stomachum.

V. 30. Pituita diffusa extra modum parit lethargiam, bilis vero nimium accensa Phrenesim. jam vero bilis quandoque accenditur vi & calore medicamentorum, quæ præbentur tollendæ pituitæ causa.

V. 31. Quæso alio morbo labores, non tamen phrenesi.

V. 32. *Prope*, i. semper.

V. 38. *Dexter*, i. opportune. Poeta ad irridendam Philosophiam stoicam Stertinium inducit perperam Philosophantem. Primum quidem iste stultitiam ac furorem, unum idemque esse ait, deinde vituperat Damasippum, qui se in flumen dejicere volebat, quod semel stulte egerit, & probat eum esse stultum. tertio patitur, eum ob stultitiam ire se demersum in flumen, idque faciendum omnibus mortalibus contendit. Tandem ejus stultitiam solatur, exemplis ostendens, eam omnibus hominibus communem esse.

V. 39. *Pudor malus*, stultus, importunus.

Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus, & grex
Autumat. hæc populos, hæc magnos formula Reges,
Excepto Sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes æque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut sylvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrinque
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille
Qui te deridet, caudam trahat. est genus unum
Sultitiæ nihilum metuenda timentis: ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum & huic varium, & nihilo sapientius, ignes
Per medios, Fluviosque ruentis. clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis pater, uxor,
Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva:
Non magis audierit, quam Fusius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater te adpello, clamantibus. huic ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo;
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:

V. 50. Probat hac similitudine unam esse viam, quæ ducit ad verum, plures vero, quæ ad errorem.

V. 53. Primum in numero stultorum ponit timidos, deinde audaces.

V. 59. *Serva*, subauditur *te*.

V. 61. Ut *Saltare Cyclopa*, *cantare Catullum*.

V. 62. Ordo est. *docebo cunctum vulgus insanire errorem huic errori similem*, *ut furere furorem*, *dolere dolorem*.

V. 64. Fac, aliquis tibi hæc dicat: *accipe* &c.

Integer est mentis Damasippi creditor? esto:
Accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,
Tunc insanus eris, si acceperis? an magis excors
Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicutæ
Nodosi tabulas, centum mille adde catenas,
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Protheus.
Quum rapies in jura, malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum; & quum volet, arbor.
Si male rem gerere, insani est; contra, bene sani:
Putidius multo cerebrum (mihi crede) Perilli est

Di-

V. 69. Damasippus accipit pecuniam, Perillus dat, Nerius argentarius Perilli pecuniam custodit. Damasippus in libro Nerii nomen suum scribit. Romani custodiendos tradebant suos nummos argentariis, a quibus ii pecuniam axipiebant, qui eam postulabant sibi mutuam dari. *scribe decem a Nerio*: i. de mensa Nerii. sunt verba Perilli Damasippum alloquentis. Quæ tamen verba facientem inducit Stertinium Horatius. Sic enim ille Philosophus probare conatur Perillium stultum fuisse, propterea quod mutuos dedit nummos Damasippo. non sum ita stultus, ut putas, ait Perillus, nam ego Damasippum duxi domum Nerii, in cujus libro scribi ab eo jussi acceptilationem. Cicuta erat scriba, qui omnes conventorum vices, rationes, formulas optime callebat, & omnes illos nodos, quibus unusquisque obstringeretur.

V. 72. *Malis*, i. genis. ridere malis alienis est cachinnos edere, ridere ore commodato, quod diffindere usque ad aures non dubites. Dacierius vertit *a gorge déployée*: alii vero risu per vim excitato. Rosellus ait, id referri ad vocem *Protheus*; Damasipuus *ridebat malis alienis*, quia fingitur desiisse esse is, qui nuper erat. hinc *fiet aper*, *modo avis* &c.

Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore:
Quisquis luxuria, tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet: huc propius me
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem:
Heredes Staberi summam incidere sepulchro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria; atque epulum arbitrio Arri, &
Frumenti quantum metit Africa: sive ego prave,
Seu recte hoc volui: ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. *D.* quid ergo
Sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
Hæredis voluit? *S.* Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, & cavit nihil acrius: ut si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, *D.* Sapiens ne? *S.* etiam & Rex,
Et quidquid volet. hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid simile isti
Græ-

V. 76. Qui pecuniam mutuam acceptam reddebat, delebat ex libro acceptilationis formulam.
V. 83. Loquitur primum de avaris.
V. 91. Hujusmodi erat Staberii sententia.

Græcus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum
In media juſſit Libya, quia tardius irent
Propter onus ſegnes. Uter eſt inſanior horum?
Dam.. Nil agit exemplum, litem quod lite reſolvit.
Ster. Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec ſtudio citharæ, nec muſæ deditus ulli,
Si ſcalpra, ac formas non ſutor, nautica vela
Averſus mercaturis: delirus & amens
Undique dicatur merito. Qui diſcrepat iſtis,
Qui nummos, aurumque recondit, neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?
Si quis ad ingentem frumenti ſemper acervum
Porrectus vigilet longo cum fuſte, neque illinc
Audeat eſuriens dominus contingere granum,

Ac

V. 100. (V. ind. *Antiſthenes*). Stertinius utpote qui Stoicus erat, Ariſtippi facinus per ſe laudabile invertit, & adſcititio colore inficit. Fingit enim eum multis mancipiis ſtipatum fuiſſe, cum unum tantum comitem habuiſſet itineris; fingit eum omnem pecuniam abjici juſſiſſe, cum ſuum ſervum nummis, qui ſupererant, & impedimento erant, exonerari juſſerit. Vide Diog. Laert. lib. 2. Stertinius igitur Ariſtippo prodigentiæ notam inurit. Nil mirum; hoc apud omnes ſectas in more poſitum eſt.

V. 103. Damaſippus ait: exemplum non valet, quod in ſolvenda controverſia aliam parit. Staberius, cui exprobratur avaritia, male ſe purgaret exemplo Ariſtippi, cum utrinque vitium extet. Sancit igitur Damaſippus, difficile eſſe affirmare, uter ſit ſtultior, ille ne, qui divitias abjicit, an qui toto vitæ ſuæ curſu eas congerit, ut poſt mortem eaſdem profundi ſinat.

V. 105. Nulli Muſicæ parti deditus.

V. 109. Qui condit magnas divitias, nec iis unquam utitur, non ſolum eſt ſtultus, verum etiam injuſtus homo, ac fur. jus eſt naturale penes omnes mortales, ut ea bona, quæ ad uſum publicum e terra effoſſa ſunt, huc illuc transferantur.

V. 112. *Porrectus*, i. erecto corpore.

Aç potius foliis parcus vescatur amaris,
Si positis intus Chii, veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum millibus acre
Potet acetum : age, si & stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca ;
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Diis inimice senex custodis? ne tibi desit :
Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexa fœdum porrigine? quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? tun' sanus? populum si cædere saxis
Incipias, servosque tuos, quos ære pararis ;
Insanum te omnes pueri, clamentque puellæ.
Quum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? neque tu hoc facis Argis,

Nec

V. 118. Stragula pro toto lecto, qui ea operitur. *stramentis*, i. palea, qua sternebantur homines.

V. 123. *Desit*. subauditur *aliquid*. *Ebibat*, i. prodigus consumat.

V. 124. An quotidie immensum quantum imminuerentur tuæ divitiæ, si &c.

V. 127. Si ais te contentum esse parvo, cur pejeras &c.

V. 132. Stertinius furorem ab amentia secernit, probatque avarum sceleстiorem esse Oreste. Horatius tragicos græcos poetas non sequitur in hac re narranda, sed fortasse Poetam aliquem latinum ; sensus est : dices, te non esse ei similem, Argis mortuum fuisse Orestem, te vero Romæ vivere : vel, te non esse ita furiosum, ut aperte vim inferas Matri : quod Orestes Argis fecit.

Nec ferro, ut demens, genitricem occidis, Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente?
Ac non ante malis dementem actum furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Pyladem ferro violare, ausus*ve* sororem est
Electram: tantum maledicit utrique, vocando
Hanc furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus, & auri,
Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis:
Quondam lethargo grandi est oppressus: ut hæres
Jam circum loculos, & claves lætus, ovansque
Curreret. hunc Medicus multum celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit: addit & illud,
Med. Ni tua custodis, avidus jam jam auferet hæres.
Op. Men' vivo? *M.* ut vivas igitur, vigila: hoc age. *O.* quid vis?
Med. Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque
Instans accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum: sume hoc ptisanarium orizæ.

V. 134. Dum occidebat Matrem. Respondet objectioni.
V. 141. Ardens, emicans.
V. 154. Præsens, promta.
V. 155. Decoctum orizæ.

Op. Quanti emtam? *M.* parvo. *O.* quanti ergo. *M.* octussibus. *O.* eheu!
Quid refert, morbo, an furtis peream, anne rapinis?
Dam. Quisnam igitur sanus? *S.* qui non stultus. *D.* quid avarus?
Sat. Stultus & insanus. *D.* Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus? *S.* minime. *D.* cur Stoice? *S.* Dicam.
Non est cardiacus (Craterum dixisse putato)
Hic æger; recte est igitur, surgetque? negabit:
Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis
Hic porcam Laribus. Verum ambitiosus, & audax;
Naviget Anticyram. Quid enim differt, Balathroni
Dones, quidquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo prædia, dives
Antiquo censu, natis divisse duobus

Fer-

V. 156. Octo assibus. as erat decima pars denarii, denarius quatuor sestertios continebat.

V. 161. Cardiacus ille est, cui stomachus sua munia peragere nequit.

V. 164. Amentes immolabant porcam Laribus. a Laribus dictæ sunt larvæ, a larvis larvati, i. furiosi. Mania erat Larium mater.

V. 165. Exemplo Oppidii gradum facit ad ambitiosos, quos pariter stultos vocat.

V. 166. Balatro est homo nihili; nequam, decoctor, scurra. ait: quid interest, utrum bonis non utaris, quod est avari, an ea dissolutis hominibus elargiaris, quod est ambitiosi?

V. 168. Dives bonorum, quæ tibi relicta sunt a majoribus.

V. 169. *Divisse*. Syncope pro divisisse.

Fertur; & hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare, & credere vidi:
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors:
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per Divos oratus uterque Penates,
Tu cave, ne minuas: tu, ne majus facias id,
Quod satis esse putat pater, & natura coercet.
Præterea ne vos titillet gloria, jure-
jurando obstringam ambo: uter ædilis fuerit, vel
Vestrum prætor, is intestabilis, aut sacer esto.
In cicere atque faba bona tu, perdasque lupinis,
Latus ut in Circo spatiere; & æneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis:
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feres tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata Leonem?
Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?

Agam.

V. 172. *Credere*, i. mutuas dare.

V. 181. *Intestabilis* proprie est is, qui nec testamentum facere, nec testis esse potest. Sed quoniam Pater hanc pœnam filio imponere non poterat, hoc verbum in ore Oppidii sonat idem at τὸ *invisus*.

V. 182. Candidati distribuebant populo in capita segetes, & nummos ad comparanda sibi suffragia in Magistratuum petitione.

V. 183. *Latus* a *fero* particip. Nobiles viri ac Matronæ. lectica aperta se ferri jubebant suorum servorum humeris vel idem est ac amplissima toga indutus, vel laticlavia.

V. 185. Præclara laus licet brevis Agrippæ, perinde ac si Poetæ ore exciderit.

V. 187. O rem lepidissimam! Poeta Stoicum cum Rege altercantem inducit. Stertinius ostendere aggreditur, nullum

Agam. Rex sum. *S.* nil ultra quæro plebejus. *A.* & æquam
Rem imperito: ac, si cui videor non justus, inultus
Dicere, quod sentit, permitto. *S.* maxime regum,
Di tibi dent, capta classem reducere Troja:
Ergo consulere, & mox respondere licebit?
Agam. Consule. *S.* cur Ajax heros ab Achille secundus
Putrescit toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami, Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulchro?
Agam. Mille ovium insanus morti dedit; inclytum Ulyssem,
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Ster. Tu, quum pro vitula statuis dulcem Aulide natam

Ante

lum esse scelus tam grande, quod ab ambitione non existat, & regem illum stultum esse & insanum. Hic locus sane vividissimus est, & nervorum plenissimus. Tam ingeniose, & solerter rem pertractat Horatius, ut ne in minimam quidem potentium offensam incidat. Hæc ille excerpsit ex Scena Ajacis Sophoclei, qua Teucer cum sepelire vellet Ajacem, qui sese interemerat, Menelaus jussu Agamemnonis & exercitus id vetat; propterea quod Ajax hos duos duces occidere paraverat, cumque id consilii exequi nequivisset, gregem occiderat. Adest deinde Agamemnon; Teucer necessariis rationibus utrique obsistit, tandem venit Ulysses, ambos placat, iisque persuadet, ut Ajacem humari patiantur. Græci peractis inferiis superbum monumentum Ajaci in promontorio Rhetæo statuerunt.

V. 188. *Rex sum.* Reges eorum rationem reddere, quæ gesserint, aut velint, non solent, sed serius ocyus populi subditi judices fiunt, & ea sæpe arguunt emortuorum Regum facinora, quæ viventium ipsi laudarunt. *nil ultra:* mulcet Regis feritatem.

V. 191. Ex Asia in Græciam retro ducere.

Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? *A.* quorsum? *S.* insanus quid enim Ajax
Fecit? quum stravit ferro pecus? abstinuit vim
Uxore & gnato, mala multa precatus Atridis:
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
Agam. Verum ego, ut hærentes adverso littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine Divos.
Ster. Nempe tuo, furiose. *A.* meo, sed non furiosus.
Ster. Qui species alias veri, scelerisque tumultu
Permistas capiet, commotus habebitur: atque
Stultitia ne erret, nihilum distabit, an ira.
Ajax quum immeritos occidit, desipit, agnos;
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? & purum est vitio tibi, quum tumidum est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem, ut gnatæ, paret ancillas, paret aurum,

Pu-

V. 205. *Adverso*, i. incommodo. Mora itineri interposita obstabat Græcorum consilio.

V. 208. *Quicumque tum veri, tum sceleris species capiet tumultu permistas, commotus habebitur. tumultus*, i. cupiditas. Agamemnon, si filiam suam mactare recusasset, timebat, ne summo imperio privaretur. Pietas hinc, & hinc crimen animo obversabatur: ille virtute relicta crimen patravit, patratoque boni publici rationem obtendit.

V. 210. *Ira*, i. quælibet cupiditas.

V. 213. *Tumidum* superbia.

V. 214. Unguentis lucentem. Probat stultitiam Regis non modo scelestam, verum etiam ridiculam esse.

V. 215. Dacierius vertit *τὸ paret aurum*, *lui prepare sa dot*. Sed agitur de dono præsenti. Tartaronus ait, dictum *vestem*, *& aurum* pro *vestem auream*: *des habits brochez d' or*. Rosellus Bomonius contendit, sic scribendum fuisse versum. *Huic vestem ut gnatæ paret, ancillas paret aurum*. Nempe emat suæ agnæ tanquam filiæ vestem, emat ancillas auro numerato. *aurum* pro *auro*,

Pupam aut pupillam adpellet: fortique marito
Deſtinet uxorem : interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos:
Quid? ſi quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer eſt animi? ne dixeris: ergo, ubi prava
Stultitia, hic ſumma eſt inſania. qui ſceleratus,
Et furioſus erit: cepit quem vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age Luxuriem, & Nomentanum arripe mecum.
Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes.
Hic ſimul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit; piſcator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid enim? venere frequentes;
Verba facit leno: quidquid mihi, quidquid & horum
Cuique domi eſt, id crede tuum: & vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contra juvenis reſponderit æquus.
Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego: tu piſces hyberno ex æquore verris:

V. 216. *Pupam*, i. infantulam.
V. 218. Et eum in tutelam conſanguineorum traderet Prætor.
V. 222. *Vitrea*, debilis, inanis.
V. 223. Eſt ſtoicorum, Reges ſugillare, & inſanos appellare. Hic verſus lautiſſimus eſt imaginum, verborum, & numerorum vi.
V. 226. Talentum erat idem ac 14400 ſeſtertiorum minorum. mille talenta igitur 14400000 ſeſtertiorum minorum ſunt.

Segnis ego, indignus, qui tantum possideam: aufer:
Sume tibi decies: tibi tantumdem: tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte citata.
Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
(Scilicet ut decies solidum absorberet) aceto
Diluit insignem baccam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitie, & nugis, pravorum & amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas:
Quorsum abeant? sanin'? creta an carbone notandi?
Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum; amentia vertet.
Si puerilius his ratio esse evincet amare:
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere trimus,
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Solicitus plores: quæro faciasne, quod olim
Mutatus Polemo; ponas insignia morbi

Fascio-

V. 237. *Decies* cententa millia sestertiorum minorum. Lenones, ut magno venderent servas, sæpe simulabant eas esse suas uxores.

V. 238. *Currit* ad me.

V. 240. *Solidum*, i. uno spiritu, vel una tantum re. absorpta.

V. 244. Ætate æque ac nequitia gemelli.

V. 246. Sani an stulti vocandi?

V. 247. Carthacea castella ædificare. Lepidus sane locus.

V. 250. Amorem esse rem magis puerilem his: loquitur de illis, qui amore capti sunt, & insanos eos esse declarat. Amoris ridiculum in eo inest, quod puerilibus, & stultis nugis implicat hominem.

Fasciolas, cubital, focalia? potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri.
Porrigis irato puero quum poma, recusat;
Sume, catelle; negat; si non des, optet. Amator
Exclusus qui distat? agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, & hæret
Invisis foribus: Ne nunc, quum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire labores?
Exclusit, revocat, redeam? non si obsecret; ecce,
Servus non paulo sapientior: o here, quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione, modoque
Tractari non vult: in amore hæc sunt mala; bellum,
Pax rursum, hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, & cæca fluitantia sorte laboret
Reddere certa sibi: nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoque.
Quid? quum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percussi forte; penes te es?
Quid? quum balba feris annoso verba palato,

V. 255. Ambigue dictum. hæ enim voces significant res ad ægrum pertinentes, vel etiam faces, vestes, curvos enses, quæ omnia amasii juvenes ferebant, ut sibi aditum aperirent in domos meretricum.

V. 259. *Catelle*, i. parve canis. Nutrices metaphorice hisce verbis utebantur, ut infantibus blandirentur.

V. 260. Vide Terentii Eunuchum, ubi Phædrias cum a Thaide revocaretur, consulit servum Parmenonem, quid sibi faciendum sit.

V. 273. Julius Pollux lib. 8. ait. „ præterea semen malorum, seu pomorum, quod inest in intimis eorum par„tibus,

Ædificante casas qui sanior? adde cruorem
Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare. modo, (inquam)
Hellade percussa, Marius quum præcipitat se,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Absolves hominem, & sceleris damnabis eumdem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lotis mane senex manibus currebat: & unum,
(Quid tam magnum? addens) unum me surpite morti:
Dis etenim facile est, orabat: sanus, utrisque
Auribus, atque oculis: mentem nisi litigiosus
Exci-

,, tibus, summis primis duobus manus dexteræ digitis comprimentes adhuc madidum, & lubricum, si ad laquear, aut cameram subsiluisset, ex eo significari putabant puellarum suarum erga se benevolentiam. ,,

V. 276. Proverbium Pytagoræ, quod significat malum malo addere, idem ac *oleum addere camino*, ut supra, camerinam movere, crabrones irritare, πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, ignem gladio ne fodito, nempe ne provoces satis jam irritatum.

V. 278. *Cerritus*. a Cerere percussus, lymphatus, fanaticus, qui credidit, se vidisse Cererem, vel cui hæc Dea caput concussit.

V. 280. Vocabula, quæ videntur diversa, sed re idem sonant.

V. 281. Loquitur de superstitiosis, eosque stultos appellat., Libertini ab Augusto præficiebantur sacris faciendis, & vocabantur *Augustales*.

V. 283. Quid enim magni oro?

V. 285. Dominus excipere in convento faciendo mentem debebat, nisi forte litem subire voluerit. Aliter Rosellus sic: Vitium amentiæ, de quo loquitur Damasippus, non erat ejus generis, in quo locum haberet actio redhibitoria. Præterea *litigiosus* non solum est is, qui quærit lites, qui lites injustas movet, sed etiam qui in judiciis & litibus scite versatus est, & callet ea omnia, in quibus actio redhibito-

Exciperet Dominus, quum venderet: hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fœcunda in gente Meneni.
Jupiter ingentes qui dasque, adimisque dolores,
Mater ait, pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit: casus, medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit

bitoria servanda sit, vel minus. Hoc postremo vocis sensu usus sic ille vertit. Dominus servum vendendo declaravisset vitium mentis, nisi forte in jurisprudentia ita peregrinus & hospes esset, ut ignoraret, in hoc vitium non cadere actionem redhibitoriam. satis acute.

V. 291. Jejunia Romæ indicebantur in honorem Jovis. Athenis olim tertio die festo Cereris. Vide Aristoph. in Nub. primo choro, & in Thesmophoris Act. 4.

V. 293. Rosellus Bomonius ita locum vertit. Horatius ubi dixit, Matrem necaturam filium, addit, eandem reducturam febrim. Ridiculum sane videtur. Interpretes volunt, subesse Hypallagen, perinde ac si scriptum fuerit, *febrim reducet, & necabit*. Sed hæc figura hic locum non habet, tum causa conjunctionis *&*, tum quia dubium est, an Filius, cui mater reducit febrim, moriturus pariter sit. Dacierius corrigit textum ita vertens: *aut saltem illa reducet febrim*. Ego vero arbitror ab Horatio comparari facinus superstitiosæ Matris cum Parentum eorum, qui filios suos exponebant vix natos. Hæc duo facinora licet diversa ex causis, poterant esse æque fatalia Filiis. Verum is, qui Filium aut in ripa fluminis relinquebat, aut alere recusabat, aut exponebat in locis publicis, *necare videbatur*, ut ait JCtus L. 4 Dig. Tit. de agnosc. & al. Lib. Talium igitur rerum ratione habita Horatius jure dicere poterat τὸ *necabit* de Matre illa insana, quæ nudum Filium recens morbo levatum Tiberi mergebat. Illa certe per se morti Filium tradebat, licet Filius evaderet. Ut si quis noxium cibum præbeat, ægro, dicitur vulgo eidem dedisse venenum. Cum Poeta addat *febrimque reducet*, animadvertas velim febrim illam mortalem esse. τὸ *necabit* igitur pertinet ad id, quod timendum fuerat, ideoque primo loco positum est, τὸ *febrimque reducet* ad id, quod necessario futurum erat, ideoque secundo loco dictum fuit.

In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concuſſa? timore Deorum.
Dam. Hæc mihi Stertinius ſapientum octavus, amico
Arma dedit, poſthac ne compellarer inultus.
Dixerit inſanum qui me, totidem audiet, atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.
Hor. Stoice, poſt damnum ſic vendas omnia pluris:
Quam me ſtultitiam (quoniam non eſt genus unum)
Inſanire putas? ego nam videor mihi ſanus.
Dam. Quid caput abſciſſum manibus quum portat Agave
Gnati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?
Hor. Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam inſanum: tantum hoc ediſſere, quo me
Ægrotare putes animi vitio. *D.* accipe: primum
Ædificas: hoc eſt longos imitaris, ab imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis, & idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum, & inceſſum; qui ridiculus minus illo?
An

V. 297. Ne quis me impune dicteriis inceſſeret.

V. 300. Salſe Horatius hortatur tacito quodam ſermone Damaſippum, ut ad primum commercium redeat, neque ſe rebus Philoſophicis immiſceat.

V. 308. Poeta procul dubio demoliebatur villam ſuam Sabinam, ut illam novo ritu magnificam efficeret, & optimo judicio ſuo accommodaret. *longos:* hic popularis dicendi modus eſt inſtar aculei.

V. 309. Exaggerat. Hæc parva Horatii ſtatura locum dedit Auguſti joco. „ Vereri autem mihi videris, ne majores „ tui libelli ſint, quam ipſe es; ſed ſi tibi ſtatura deeſt, „ corpuſculum non deeſt, idque licebit in ſextariolo ſcribas, quum circuitus voluminis ſit ὀγκωδέστατος, ſicut „ eſt ventriculi tui. „

V. 310. Fortaſſe Turbo erat gladiator, qui corporis parvitatem animi magnitudine compenſabat.

An quodcumque facit Mæcenas, te quoque verum eſt,
Tanto diſſimilem, & tanto certare minorem?
Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliſerit: illa rogare
Quanta ne? num tantum ſufflans ſe magna fuiſſet;
Major dimidio: Num tantum? Quum magis, atque
Se magis inflaret; non, ſi te ruperis, (inquit)
Par eris. Hæc ab te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc, (hoc eſt oleum adde Camino)
Quæ ſi quis ſanus fecit, ſanus facis & tu.
Non dico horrendam rabiem. *H.* jam deſine. *D.* cultum
Majorem cenſu. *H.* teneas, Damaſippe, tuis te;
Dam. Mille puellarum, puerorum mille furores.
Hor. O major tandem parcas inſane minori.

V. 312. *An verum eſt, & par eſt, te facere, quodcumque Mæcenas facit, te, inquam, tantum, & diſſimilem, & tanto minorem certare cum illo?*

V. 314. Phædrus narrat alio modo eandem fabulam.

V. 316. Hæc vox *cognatos* latius patet. ſcilicet *conſanguineos*.

V. 321. Philoſophus ineptus Poeſim improbat,

V. 323. Poeta cum Cæſaris, & Mæcenatis aulam frequentare ſoleret, non vulgari cultu uti debebat. Pater ejus non pepercit ſumtibus, ut eum ultra genus ſuum ac ſortem educaret. Præterea Mæcenas, qui Horatio bona impertitus erat, æquo animo eum videre debebat, iiſdem tam præclare utentem.

V. 324. Rem tuam agas, ne aliena cures.

V. 325. Vidimus in Carminibus, quam proclivis ad amores fuerit.

SATIRA IV.

Catii nescio cujus fatuitatem irridet, qui summam hominis felicitatem in arte culinaria poneret.

Hor. UNde & quo Catius? *Cat.* Non est mihi tempus, aventi

Ponere signa novis præceptis: qualia vincant

Py-

Præstantissima est hæc Satira, & solertissimi ingenii index. Prodit in scenam quidam M. Catius Insuber Epicureus, qui magnum se Philosophum venditat, & peritissimum coquum, qui tamen rerum culinariarum, æque ac Philosophicarum malus æstimator ac judex est. Ille ut nobis aliquod Epicureæ sectæ specimen daret, abutitur sapientissimis Epicuri doctrinis, summumque bonum in commessationibus ponit. Multa stulte profert de arte culinaria, quæ rationi, & rerum experientiæ prorsus adversantur. Poeta ut eum ad præclara illa documenta exponenda pelliceret, primum laudat, & simulat, se tam excellentibus doctrinis velle instrui, cumque id assecutus fuerit, orat, & obtestatur salse, ut se discipulum excipiat. Hæc Poetæ jocandi ratio lepidissima mehercule est, & jucundissima. Operæ pretium non erat illas doctrinas confutare, quæ cum evanidæ, & ridiculæ sint, ipsæ per se dilabuntur. * Fortasse Horatius quempiam Philosophum græcum irridet, qui Romam venerit, Epicureæ Philosophiæ docendæ causa, in cujus schola Catius iste tam stulta commenta didicerit. * latet quo anno hæc Satira peracta fuerit.

V. 1. Initio statim Catius gravissimi Doctoris personam induit. Videtur difficilem aliquem Philosophiæ nodum mente extricare; tempus ei deest dicendi salutem amico.

V. 2. Nova præcepta in animo consignare. Hic homo adeo occupatus est in re sibi proposita, ut ne momentum quidem temporis pedem sistere queat, impatiens tamen vehementer est doctrinas suas expromendi, & primos gradus facit ad excitandam Horatii curiositatem. Hæc, ait, sunt vitæ instituta, *præcepta*, & hactenus incognita; *nova:* & omnium Philosophorum repertis antistant, *qualia vincant* &c. tandem ad ea intelligenda opus est maximo ingenii acumine: *res tenues*.

Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.
Hor. Peccatum fateor, quum te sic tempore lævo
Interpellarim; sed des veniam bonus, oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est Naturæ hoc, sive artis, mirus utroque.
Cat. Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.
Hor. Ede hominis nomen: simul & Romanus, an hospes.
Cat. Ipsa memor præcepta canam: celabitur auctor;
Longa quibus facies ovis erit, illa memento
Ut succi melioris, & ut magis alta rotundis,
Ponere; Namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dul-

V. 12. Catius ordine procedit; primo loquitur de prima mensa: de ovis: deinde de secunda: tertio quædam universe docet de mundicie. * Hic ordo indicat nimiam curam, & studium Catii in rebus tam inanibus insumtum. * Sed id interdum præcipit, quod rerum experientia refellit. Ova enim rotunda pullum marem pariunt, & putamen habent durius, quam longa. Novus hic legislator fucum fecit Columellæ lib. 9. c. 5, & Plinio lib. 10. c. 52, multisque aliis, qui verba Catii spectarunt, tanquam ex Horatii sententia. Errat Scaliger, qui putat etiam Aristotelem cum Plinio & Columella errasse. Nam teste Alberto magno locus ille Philosophi lib. 6. Hist. anim. c. 2. ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ &c. depravatus fuit ex transcriptorum vitio. Præterea Avicena aperte docet ex rotundis & brevibus ovis mares produci. Albertus magnus ait *id concordare cum experientia, quam ipse expertus est, & cum ratione*. Sed quid in re tam levi diutius immoror? de qua, opinor, nihil certi affirmari potest. Licet Catius in hoc non erret, ridiculus satis superque est, cum tam graviter de re nullius momenti disputet. *

V. 15. * Fallitur Catius sive τὸ *dulcior* accipiatur pro *gratior* sive pro *insipidior*. Nam teste Columella lib. II. c. 3, & Palladio, & experientia duce brassica in siccis agris
nata

Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina, malum, responset dura palato,
Doctus eris vivam musto mersare Falerno;
Hoc teneram faciet. pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur. ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno;
Mendose, quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene, decet. Leni præcordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Myrtulus, & viles pellent obstantia conchæ,

Et

nata insuavior est palato, nata vero in solo pingui, & irriguo fit suavior. *

V. 17. *Oppresserit*, i. improviso aderit.

V. 19. Mustum est vinum album, turbidum, dulce vix egressum lacu. Romani callebant artem servandi illud in eodem statu totum annum.

V. 20. Videtur falsum. Fungi nemorenses, & qui inter tamariscos, juniperos, & in locis sylvestribus innascuntur, palato solent esse jucundiores, quam pratenses. nam solum prati cum sit uliginosum, & frigidum nihil potest nisi subnigrum, & graveolens exsudare.

V. 22. * Errat Catius, ait Sanado, medici enim præcipiunt edenda esse mora initio statim convivii, non ad finem. Vereor ne Sanado, cum sibi ptoposuerit Catium fere semper falli, ne falsa esse autumet, quæ revera talia non sunt. *

V. 25. M. Aufidius Lurco, homo mollis opiparis epulis delectabatur. Noster Doctor hic perperam sentit. Aufidius scite jejunus vinum Falernum bibebat, cujus vis misto melle temperabatur. Nam id roborabat stomachum: & ad concoquendos facile cibos præparabat, quos sumturus erat. Hæc est Dioscoridis, & Plinii opinio.

V. 26. Mulsum est vinum vetus, & robustum melle mistum. Catius suadet illud bibere, nempe id facere, quod improbat in Aufidio.

V. 27. *Si dura* &c. recte monet.

Et Lapathi brevis herba, ſed albo non ſine Coo.
Lubrica naſcentes implent conchylia Luna.
Sed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ.
Murice Bajano melior Lucrina Peloris;
Oſtrea Circeis, Miſeno oriuntur Echini.
Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.
Nec tibi cœnarum quivis temere arroget artem
Non prius exacta tenui ratione ſaporum.
Nec ſatis eſt cara piſces averrere menſa,
Ignarum quibus eſt jus aptius, & quibus aſſis.
Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet:
Umber & iligna nutritus glande rotundas
Curvat aper lances carnem vitantis inertem.
Nam Laurens malus eſt, ulvis & arundine pinguis.
Vinea ſubmittit capreas non ſemper edules.
Fœcundæ leporis ſapiens ſectabitur armos.

Pi-

V. 30. Hic Catii error omnibus veteribus communis eſt.

V. 34. Itali vocant *cappe di S. Giacomo*, *cappe ſante*. conſtant duabus ſatis amplis conchis canaliculatim cavatis, quibus palliolum ceratum ornare ſolent peregrini. Pectunculus habet unam auriculam, pecten duas.

V. 37. Piſcatores exponebant piſcem venalem in menſis.

V. 41. *Vitantis*, i. ejus qui faſtidit carnem inſulſam.

V. 42. Optimi apri ii ſunt, qui aluntur in nemoribus paluſtribus judicio helluonum. Contra ſentit Catius.

V. 43. Sylveſtres capreas, quæ ſolent vitium folia, & pampinos rodere.

V. 44. Doctor Catius affirmat armos leporis optimos eſſe, ſed quiſque helluo lumbos. *ſapiens*, i. cui palatum ſapit. Roſellus ſecutus Scholiaſten inquit, *armos* hic eſſe idem, ac humeros leporis cum lumbis, fretus illis verbis S. II. 8, 89. *& Leporum avulſos, ut multo ſuavius armos, quam ſi cum lumbis quis, edit;* & addit in more poſitum apud veteres, ut ita cæderent leporem, ut tamen armi lumbis adhuc hærerent. Idcirco eo loci ridiculum facit Naſidienum, qui armos leporis avulſos a lumbis magis laudaret, quam lumbis adjunctos.

Piſcibus atque avibus, quæ natura ac foret ætas,
Ante meum patuit nulli quæſita palatum.
Sunt, quorum ingenium nova tantum cruſtula promit.
Nequaquam ſatis eſt re una conſumere curam:
Ut ſi quis ſolum hoc, mala ne ſint vina laboret;
Quali perfundat piſces ſecurus olivo.
Maſſica ſi cœlo ſupponas vina ſereno,
Nocturna, quidquid craſſi eſt, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inmicus, at illa
Interdum perdunt lino vitiata ſaporem.
Surentina vafer qui miſcet fece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo:
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Toſtis marcentem ſquillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
Poſt vinum ſtomacho: perna magis, ac magis hillis
Flagitat immorſus refici: quin omnia mavult,
Qæcumque immundis fervent adlata popinis.
Eſt operæ pretium duplicis cognoſcere juris

Na-

V. 46. Vide hominis ſtultitiam. Non modo loquitur de rebus, quas ignorat, ſed etiam jactat neſcio quid a ſe repertum, quod a veritate abhorret.

V. 50. *Securus*, i. nulla adhibita cura perfundendi oleo optimo piſces.

V. 54. Percolata ſacco lineo, per quem vinum transfunditur, ut liquidius, ac purius fiat, quod Catius injuria damnat.

V. 57. Fallitur fortaſſe Catius. noſtri Mercatores vini non adhibent vitellum, ſed albumen.

V. 58. Squillæ ſunt cancerculi marini, aut alii hujuſmodi piſces.

V. 60. Hilla eſt quidquid nos vocamus ſalcimen.

V. 61. *Immorſus*, i. vellicatus, excitatus, punctus, perculſus.

Naturam. Simplex e dulci constat olivo.
At pingui miscere mero, muriaque decebit,
Non alia, quam qua Bizantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit: insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remittit olivæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo.
Nam facie præstant, Venuncula convenit ollis.
Rectius Albanam fumo duraverit uvam.
Hanc ego cum malis, ego fecem primus, & alec,
Primus & invenior piper album cum sale nigro
Incretum puris circumposuisse catillis.
Immane est vitium dare millia terna macello,
Angustoque vagos pisces urgere catino.

Ma-

V. 65. Vino robusto, pleno, ut ait Celsus, qui illud opponit vino tenui. *Miscere*, i. jus mistum facere. Videtur ineptire Catius permutatis epithetis *pingue & dulci*, quod semper pingue attribuitur oleo, numquam vino nisi vitiato. fortasse hæc inepta vocum permutatio consulto & facete a Poeta inducitur, ut imperitia, & oblivio Catii proponeretur irridenda.

V. 66. Orca est vas fictile; ait: *muria qua orca putuit*, quia muria relinquit in vase, ubi fuerat, odorem graveolentem. Byzantii Muria conficiebatur ex diversis piscibus præsertim ex thynnis, & garis.

V. 67. Vino pingui, & muriæ admisce herbas minutim cæsas, & crocum Corycium; fac ebulliant omnia, donec coalescant; deinde infunde oleum Venafranum. *Corycio*, ex Corico urbe Siciliæ.

V. 71. Martialis ait de hac uva: *Ollares uvæ & botriones*. & Plinius *venucula ollis aptissima*.

V. 73. *Fecem & alec*, i. alec cum fece. i. muriam non defecatam. lepide miscet Catius poma muriæ, sali, piperi. Hoc est ejus repertum.

V. 75. Ego primus jussi distribui in capita convivis uvam Albanam cum pomis, & muriam non defecatam, & album piper cum sale nigro incretum, i. non percolatum incerniculo, ut explicat Festus.

V. 76. Tria millia sestertiorum minorum impendere in emendos cibos.

Magna movet ſtomacho faſtidia, ſeu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit:
Sive gravis veteri crateræ limus adhæſit.
Vilibus in ſcopis, in mattis, in ſcobe quantus
Conſiſtit ſumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes,
Oblitum, quanto curam, ſumtumque minorem
Hæc habeant, tanto reprendi juſtius illis,
Quæ niſi divitibus nequeunt contingere menſis?
Hor. Docte Cati, per amicitiam, divoſque rogatus
Ducere me auditum, pergas quocumque memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantumdem juveris. Adde
Vultum, habitumque hominis; quem tu vidiſſe beatus
Non magni pendis quia contigit: at mihi cura
Non mediocris ineſt; fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

V. 79. *Furta*, i. ſublecta furtim eſculenta.
V. 87. Romani utebantur frondibus palmæ ad componendas ſcopas.
V. 88. Ironia maligna. admirari ſe ſimulat novam Catii ſcientiam; nam concupiſcit adire, & intueri Auctorem; vult ea præcepta penitus mente configere.
V. 92. Tu aſſuetus videre eum, non curas quærere alia felicia momenta temporis.

SA-

SATIRA V.

Hereditatum captatores, quibus artibus uterentur, faceto Ulyſſem inter & Tireſiam dialogo exponit.

Ul. HOc quoque, Tireſia, præter narrata petenti
Reſponde; quibus amiſſas reparare queam res
Artibus, atque modis? quid rides? *T.* jamne, doloſe,
Non ſatis eſt Ithacam revehi, patrioſque Penates
Adſpicere? *U.* o nulli quicquam mentite, vides, ut
Nudus, inopſque domum redeo, te vate: neque illic

Aut

Vides eam Dialogi rationem vividam, ſubtilem & Atticam, quam Lucianus poſtea tam feliciter aſſecutus eſt. Deſcribenda ſuſcipit Horatius, quæ turpiter agebant id ætatis homines, ut gratiam inirent divitum filiis carentium, hæreditatis ſpe. ea quidem præcipit Ulyſſi Tireſias, quæ ducem, & Regem tam inclytum dedecent. Sed præterquamquod ingenii & morum, quibus ambo illi viri præditi fuere, communis cognitio ſatis aperte declarat, ludum & jocum in hac Satira latere, Poeta maxime cavit, ne a decoro recederet. Ulyſſes enim famam ſuam tuetur, cum ea, quæ ſibi facienda proponuntur, rejicit, & licet omni Tireſiæ orationi aures præbeat, tamen auditis non reſpondet, nec quid conſolii capiat, unquam ſignificat. patet ex verſu 62 hanc Satiram fuiſſe conditam ante 734 annum, cum Auguſtus inſignia a Phraate recepit.

V. 1. Præter ea, quæ Tireſias dixit Ulyſſi in primo congreſſu apud Circem. Fingit Poeta, Ulyſſem Ithacam reverſum, reſque ſuas exciſas videntem excitaſſe ab inferis Tireſiæ manes, a quo modum eas reparandi edoceretur. Hoc ſecundum colloquium differt a primo & loco & tempore.

Aut apotheca procis intacta eſt, aut pecus. Atqui
Et genus, & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.
Quando pauperiem miſſis ambagibus horres:
Accipe, qua ratione queas diteſcere. Turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino ſene, dulcia poma,
Et quoſcumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante larem guſtet venerabilior lare dives.
Qui quamvis perjurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus: ne tamen illi
Tu comes eſterior, ſi poſtulet, ire recuſes:
Ul. Ut ne tegam ſpurco Damæ latus? haud ita Trojæ
Me geſſi certans ſemper melioribus. *T.* ergo
Pauper eris. *U.* Fortem hoc animum tolerare jubebo,
Et quondam majora tuli: tu protinus unde
Divitias æriſque ruam dic, augur, acervos.
Ti. Dixi equidem, & dico: captes aſtutus ubique
Teſtamenta ſenum: neu, ſi vafer unus, & alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo,
Aut ſpem deponas, aut artem illius omittas.
Magna minorve foro ſi res certabitur olim,
Vivet uter locuples ſine gnatis, improbus ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius eſto
Defenſor. Fama civem, cauſaque priorem
Sperne, domi ſi gnatus erit, fœcundave conjux,

Quin-

V. 7. Horreum, cella promtuaria

V. 11. *Privum* opponitur *τῷ communis. turdus*, ſicut quæque alia avis ſylveſtris communis eſt.

V. 15. *Sine gente*, i. ignobilis.

V. 30. *Priorem*, i. penes quem cauſſa eſt potior.

Quinte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.
Jus anceps novi, causas defendere possum.
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum cassa nuce pauperet, hæc mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis jocus: ire domum, atque
Pelliculam curare jube: si cognitor ipse.
Persta atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuit Alpes.
Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?
Plures adnabunt thynni, & cetaria crescent.

V. 32. Apud Romanos quidam ex servis liberti facti cohonestari gaudebant prænominibus *Quinti*, *Publii*, *Marci*, &c. quæ ingenuis tantum viris tribuebantur. Nostris temporibus vir repente dives factus sibi sumit subito præclaros facili negotio titulos, puta *Comitis*, *Marchionis* &c. Nullo unquam tempore vani homines defuere. Hi versus incipiendo a τῷ *Quinte usque ad curare jube* referuntur ad divitem.

V. 34. Juris quæstiones, quæ pro & contra jus efferri possunt, omnes litium trahendarum anfractus, omnes fugitandi vias.

V. 36. Paterer mihi potius oculos erui, quam tuam rem vel minimum imminui, quam te vel minimum ab aliis lædi.

V. 38. Fac sis procurator.

V. 39. Satirice. carpit & mordet duos suæ ætatis Auctores, quorum alter dixerat, infantes statuas, ut indicaret statuas recens factas; alter vero, i. M. Furius Bibaculus dixerat versum: *jupiter hibernas* &c.

V. 40. Omasus est pantices, venter.

V. 41. Rosellus putat τὸ *Furius* e margine in textum subrepsisse, & Horatium opposuisse τῷ *rubra canicula* alterius Poetæ versum integrum Furii, qualem legimus in Macrobio.

V. 44. Metaphora.

Si cui præterea validus male filius in re
Præclara sublatus aletur, ne manifestum
Cælibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus : ut, & scribare secundus
Hæres, &, si quis casus puerum egerit orco,
In vacuum venias. perraro hæc alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, & tabulas a te removere memento.
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu: solus, multisne cohæres,
Veloci percurre oculo: plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem:
Captatorque dabit risus Nasica Corano.
Ul. Num furis? an prudens ludis me, obscura canendo?

Ti.

V. 46. Educatus, reservatus in familiæ propagandæ spem.

V. 47. Cave, ne nimio obsequio erga cælibem tua consilia prodas.

V. 50. Ad te hæreditas transferatur.

V. 53. Limis oculis raptim legas. „ cautum, ut in testamentis primæ duæ lineæ testatorum modo nomine inscripto vacuæ signaturis ostenderentur. „ Suet. in Nerone c. 17. *primæ duæ ceræ*, i. primæ duæ paginæ. in prima cera igitur erat nomen Testatoris, in secunda hæredum, inde secundorum.

V. 56. Quinqueviri erant ii, qui in coloniis, & municipiis infimos magistratus gerebant, ex eorum numero eligebantur scribæ, utpote qui forenses opellas optime callebant. hinc *recoctus scriba*, *retorridus*.

Ibid. Rosellus Erasmi auctoritate nixus ait, a Poeta spectari adagium illud: *Vultur es, cadaver expecta*, non vero fabulam Corvi, & Vulpis.

V. 57. Illudetur a Corano. salse irridet Nasicam. Coranus ille fortasse erat senior vel valetudine infirmiori. Nasica vero hæreditatem aliquam ex ejus testamento expectabat.

V. 58. *Prudens*, i. sciens, lubens.

Ti. O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non.
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Ul. Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
Ti. Tempore, quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Ænea, tellure marique
Magnus erit: forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque,
Ut legat, orabit: multum Nasica negatas
Accipiet tandem, tacitus leget: invenietque
Nil sibi legatum, præter plorare, suisque.
Illud ad hæc jubeo: mulier si forte dolosa,
Libertusque senem delirum temperet; illis
Accedas socius. laudes, lauderis ut absens,
Adjuvat hoc quoque: sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput: scribet mala carmina vecors?
Laudato: scortator erit? cave te roget: ultro
Penelopem facilis potiori trade. *U.* putasne

 Per-

V. 59. Ab Apolline artem accepi prædicendi fatum, & pariter quidquid succedet, aut non prædico, i. quidquid dicam, aut erit, si dixero fore, aut non, si dixero non fore. * Putat Scaliger hoc dictum præter expectationem, omnesque sapere urbanitates. Sed fallitur, nam vera dicturus erat Tiresias, & serio.

V. 61. Fabulam vocat Ulysses rem, sibi adhuc ignotam, & subobscure & leviter prius indicatam.

V. 62. Anno 734 Augustus agebat annum 43.

V. 65. Debitum solidum, plenum, integrum.

V. 74. Fac, potiaris domini ipsius gratia.

V. 75. Eum hortatur, ut tradat Penelopem suam diviti, quemadmodum Nasica filiam tradidit Corano.

V. 76. Ulysses erat dissimulator, & vafer: Tiresias certe ad iracundiam eum excitabat hæc præcipiens, sed magis ad

zelo-

Perduci poterit tam frugi, tamque pudica;
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
Ti. Venit enim magno, donandi parca juventus:
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinæ:
Sic tibi Penelope frugi est: quæ, si semel uno
De sene gustarit, tecum partita lucellum,
Ut canis, a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me sene, quod dicam, factum est: anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres:
Scilicet elabi si posset mortua: credo
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
Neu desis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem & morosum offendes garrulus, ultro
Non etiam sileas. Davus sis comicus; atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti,
Obsequio grassare; mone si increbruit aura;
Cautus uti velet charum caput: extrahe turba
Op-

zelotypiam. præcipue cum Ulysses sciret uxorem suam a multis procis circumveniri. Idcirco patienter eum audit, ut demum sibi palam fieret, an quidquam ab uxore patratum fuerit, quod Tiresiæ ansam præbuerit tam male de illa sentiendi.

V. 77. *Perducere*, est ducere mattonas ad quemdam, qui eas violet. hinc perductores, lenones. producere est ducere meretrices ad quemdam, qui eas comprimat.

V. 79. *Venit* a *veneo*. venalis est magno pretio. Sic Sanado, & alii: Dacierius vero tollit interpunctionem, & legit *magnum*, & deducit τὸ *venit* a *venio*, ita explicans. juvenes avariores ad eam accessere.

V. 83. *Uncto*, i. adhuc sanginolento. post venatum cani dabatur edendum corium feræ occisæ, ut assuesceret venando.

V. 90. *Ultro*, i. intempestive, inopportune, obstinate.

V. 92. *Obstipo*. collo oblongo, rigido, immoto.

V. 93. Obsequii & illecebrarum vi eum tibi devincito.

Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec ohe jam,
Ad cœlum manibus sublatis dixerit, urge, &
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Quum te servitio longo, curaque levarit,
Et certum vigilans, quartæ esto partis Ulysses,
Audieris, hæres: ergo nunc Dama sodalis
Nusquam erit? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?
Sparge subinde. at, si paulum potes, illacrymare; est
Gaudia prodentem vultu celare. sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus extrue; funus
Egregie factum laudet vicinia. si quis
Forte choœredum senior male tussiet; huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi, sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere; sed me
Imperiosa trahit Proserpina: vive, valeque.

V. 95. Detege tuam aurem, post aurem stringe capillos, qui solent eam operire. vel: velle aurem seni, eum molliter contrectando.

V. 103. Prudentis est, tristitiæ velo vultum jam gaudia prodentem obnubere.

V. 108. Dic te domum, seu fundum, qui tibi obtigit ex hæreditate simulate ei venditurum, idest donaturum.

V. 109. *Nummo*, i. pro nihilo. Cum domus ex testamento tradita simulate vendebatur, hoc in more positum erat. Venditor, & emtor domum cujusdam ministri, qui vocabatur *libripens*, conveniebant, ubi coram testibus falsus emtor in libra ponebat nummum, qui postea a falso venditore accipiebatur; & sic rei adeptio legitima putabatur. vocatur emtio imaginaria apud Ulpianum.

SATIRA VI.

Ruſticani otii commoda cum urbanæ vitæ moleſtis contendit.

HOc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum ſylvæ ſuper his foret; auctius, atque
Di melius fecere. bene eſt: nihil amplius oro,
Maja nate, niſi ut propria hæc mihi munera faxis;
Si neque majorem feci ratione mala rem,
Nec ſum facturus vitio culpave minorem:
Si veneror ſtultus nihil horum, o ſi angulus ille,
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum:
O ſi urnam argenti fors quæ mihi monſtret! ut illi
Theſauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipſum mercatus aravit, dives amico
Hercule: ſi quod adeſt, gratum juvat: hac prece te oro,
Pingue pecus Domino facias, & cætera, præter
Ingenium: utque ſoles, ſcuſtos mihi maximus adſis,

Sæpe quidem Poeta fortunæ mediocris tranquillitatem laudavit, ſed quam varia id mirabilique ratione effecit! eſt ingenii clariſſimi multiplici novitatis & venuſtatis honore res ſæpius pertractatas conveſtire. Hic belle rem perficit per antitheſim. Solidis enim voluptatibus, quibus rure Sabino perfruebatur, opponit curas, & rerum ambages, quibus ipſe Romæ diſtinebatur. Utile dulci tam apte cohæret in hac Satira, ut qui eam legerit, non poſſit, quin Poetæ ſententiam avidiſſime amplectatur. ſcripta fuit anno 723 ineunte autumno, ut licet perſpicere ex v. 40, & 45.

V. 1. Quis ex viris aulicis tam egregium moderationis exemplum exhibuit? quis tam ingenue locutus? *nihil amplius oro*.

V. 8. Si Deos talibus precibus non ſolicito.

V. 14. *Præter ingenium pingue*. Dacierius hunc jocum improbat.

Ergo ubi me in montes, & in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem satiris, musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
Autumnusque gravis, Libitinæ questus acerbæ,
Matutine pater, seu Jane libentius audis,
Unde homines operum primos, vitæque labores
Instituunt (sic diis placitum) tu carminis esto
Principium, Romæ sponsorem me rapis; eja,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge:
Sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mi obsit, clare, certumque locuto,
Luctandum in turba. facienda injuria tardis.
Quid tibi vis, quas res agis, insane? improbus urget
Iratis precibus. Tu pulses omne, quod obster,
Ad Mæcenatem memori si mente recurras.
Hoc juvat, & melli est: non mentiar: at simul atras

V. 18. Loquitur de ambitione eorum, qui dignitates affectabant, vel de sua: cogebatur enim colere Optimates, & Amicis gratificari. Cum hujusmodi molestiis comparat tranquillitatem sui secessus.

V. 20. Nunc orditur satiram.

V. 23. Tu sane dicis mihi; *eja* &c. sponsio est onus sponsori impositum, qui quidquid spondet, præstare debet, si alter, cujus sponsor est, absit.

V. 24. Consule studiose Amici rebus. *urge* officium. ait Janus.

V. 26. Hyemis tempore sol cum a nobis procul absit, tertiam sui gyri partem exhibet, cum dies hiberni 8 circiter horis constent. Dies igitur *interior* idem est ac brevior. ita interior quadriga in cursu equorum erat propior metæ, quam currus circumibat.

V. 28. Dum redeo, luctandum est mihi cum sero venientibus.

V. 31. Hoc probat diligentiam Horatii.

V. 32. *Atras*, i. *funestas*. vide Odem *At o Deorum*, & Satiram *Olim truncus eram*. Mæcenas jam domum in Esquiliis construerat.

Ventum est Esquilias; aliena negotia centum
Per caput, & circa saliunt latus. Ante secundam
Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras,
De re communi scribæ magna, atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
Imprimat his cura Mæcenas signa tabellis.
Dixeris, experiar: si vis potes, addit, & instat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cæpit habere suorum
In numero: dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens, & cui concredere nugas,
Hoc genus: hora quota est? Threx est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent:
Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subjectior in diem, & horam
Invidiæ. noster ludos spectaverit una,
Luserit in campo; fortunæ filius, omnes.
Frigidus e rostris manet per compita rumor,
Quicumque obvius est, me consulit. O bone (nam te
Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet)
Nam quid de Dacis audisti? Nil equidem: ut tu
Semper eris derisor! at omnes Di exagitent me,
Si

V. 35. Designat comitium monumento, quod in putei operti formam surgebat. Prætores vel Centuriones ad illud monumentum adsidebant, ut de privatorum rebus judicium ferrent.

V. 36. Communi scribis, non Horatio cum scribis.

V. 38. Mæcenas erat præcipuus signator Augusti. Dio lib. 58.

V. 40. Cum dicat, octavum circiter annum elapsum esse, ex quo Mæcenatis amicus factus est, ergo significat annum 723 (V. vitam Horatii).

V. 48. Si una cum Mæcenate spectaverim ludos, vel in campo luserim: omnes continuo exclamant; fortunæ filius est. obscure dictum, quia ipse loquitur in tertia persona, & omittit *τὸ exclamant, dicunt*.

Si quiciquam. Quid militibus promissa Triquetra
Prædia Cæsar, an est Itala tellure daturus?
Jurantem me scire nihil, miratur, ut unum
Scilicet egregii mortalem, altique silenti.
Perditur hæc inter misero lux non sine votis:
O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis,
Ducere solicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes, cœnæque Deum! quibus ipse, meique
Ante Larem proprium vescor: vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. prout cuique libido est,
Siccat inæquales calices, conviva solutus
Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit lætius. ergo
Sermo oritur non de villis, domibusve alienis.
Nec male nec ne Lepos saltet: sed quod magis ad nos

Per-

V. 55. Sicilia dicta Triquetra a figura triangulari.

V. 60. Locus hic est suavitate ipsa suavior. quæ dulcior libertatis imago exhiberi potest?

V. 63. Cognatio Pythagorica latissime patebat. Omnia animantia in ejus Philosophi familiam cooptabantur. ille fabam animantibus corporibus similem nactus putabat esse μετεμψυχώσεως vicibus obnoxiam, verebaturque, ne aliqui cognatorum suorum in fabas conversi fuerint.

V. 65. Putarunt aliqui, Horatium convivis servis uti solitum. Sed Cervius, & alii vicini hoc minime passi fuissent.

V. 68. Vinolenti, & helluones statuerant leges, quæ ex tabernis petitæ in Optimatum quoque mensas receptæ sunt. jubebantur amici edere dapes, & vina bibere helluonis Regis convivarum arbitrio.

V. 70. *Uvescit*, i. sensim, pedetentimque, & haustibus bibit. *ergo*, i. deinde.

V. 72. Nostra ætate id accidit, quod Horatii. Si comœdiam

Pertinet, ac nescire malum est, agitamus, utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati:
Quidve ad amicitias, usus, rectumne trahat nos:
Et quæ sit natura boni, summumque quid ejus.
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas: si quis nam laudat Arelli
Solicitas ignarus opes, sic incipit: olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
Asper & adtentus quæsitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum: quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum & ore ferens acinum, semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna
Vincere tangentis male singula dente superbo:
Quum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tan-

diam tollas, & nova rerum figmenta, ac ritus, qui ab artificibus lucri causa excogitantur, fere omnes obmutescerent. deplorandi ii sunt, qui negligenter educati de futilibus tantum rebus loqui sciunt, sed non minus ii, qui hæc puerilia & nugatoria audire coguntur.

V. 75. Amicitia est quædam animi propensio erga aliquem; utilitas autem, i, voluptas ea est, quæ animum movet. φιλαυτία sibi prospicit amicitiam fovendo. Cum Zeno ait amicitiam ex sola virtute existere, non contradicit Epicuro, qui amicitiam inter virtutes recenset, eamque cæteris omnibus præfert, sed diversa ambo sentiunt de virtute. (V. Ind. *Antisthenes*).

V. 77. *Aniles*, i. vetustas, ab avorum memoria repetitas.

V. 82. Ita tamen ut. metaphorice hic loquitur.

V. 84. Neque ille quicquam ciceris, aut avenæ hospiti suo invidit, *sepositum*: ita ut totum annum victui suppeteret.

V. 85. *Acinum*, i. racemum deficcatum, solatum.

V. 87. *Superbo*, i. contemnentis instar. *male*, i. vix.

V. 88. Seneca loquitur de Arellio Fusco celebri Oratore ejus ætatis.

V. 89. *Esset*, i. comederet.

Tandem urbanus ad hunc: quid te juvat, inquit, Amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines, urbemque feris præponere sylvis?
Carpe viam, mihi crede, comes: terrestria quando
Mortales animos vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo lethi fuga. quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus:
Vive memor, quam sis ævi brevis. Hæc ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exilit: inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere: jamque tenebat
Nox medium cœli spatium, quum ponit uterque
In locuplete domo vestigia: rubro ubi cocco
Tinta super lectos canderet vestis eburnos;
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, prælibans omne, quod adfert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit lætum convivam. Quum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: haud mihi vita
Est opus hac, ait, & valeas: me sylva, cavusque

Tu-

V. 92. Mus urbanus quodammodo impellit Rusticum, ut urbem petat.

V. 94. Quandoquidem mortales homines morti obnoxii sunt.

V. 103. *Canderet*, i. resplenderet.

V. 108. *Verniliter*, i. adulatorie, ut explicat Nonius Marc. aulicorum virorum more, obsequio blandissimo.

Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

V. 117. *Ervo, vezza nera.*

SATIRA VII.

Horatii servus libertate usus Saturnalitia festive illum, & acriter objurgat.

DIALOGUS

Horatium inter & Davum.

Da. JAmdudum ausculto: & cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido. *H.* Davusne? *D.* ita, Davus, amicum
Mancipium Domino, & frugi, quod sit satis: hoc est
Ut vitale putes. *H.* age, libertate decembri, (Quan-

Satira tertia, & hæc numero septima affines sibi invicem sunt. illic Philosophus aliqua vitia Horatio exprobrat, hic Servus plura. Hujusmodi solertia in Poeta admirabilis est. Se ipsum criminatur, ut alios potiori jure criminari queat, vel potius ea a suo mancipio se doceri patitur, quæ unusquisque possit ediscere. Rationum momenta, quæ Davus adfert, sunt ita naturæ consentanea, ita necessaria, ita gravia, ut cum ea amoliri Flaccus nequeat, minis intentatis servum ab instituta criminatione absterrere conetur. Hæc Satira præcedenti succedit, ideoque post annum 725 scripta est.

V. 1. Davus tot injuriis toto anni curriculo toleratis fessus tandem libere se posse sua animi sensa exerere sentit.

V. 2. Metuit irritare dominum, idcirco ait, se velle eum paucis. *Amicum*. hero suo blanditur, ut libenter aures præbeat; perinde ac si ejus studio & amore ductus locuturus sit.

V. 4. Fere omnes in ea sunt hæresi, ut credant, clarissimos viros minus diu victuros esse, quam cæteri. Hinc proverbium: ille non vivet, nimis enim vivido ingenio pollet. (V. Ind. *Saturnalia*).

(Quando ita majores voluerunt) utere: narra.
Da. Pars hominum vitiis gaudet constanter, & urget
Propositum: pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modo læva Priscus inani
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas:
Ædibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix Libertinus honeste:
Jam Mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere: Vertumnis quoquot sunt, natus iniquis:
Scurra Volanerius, postquam illi justa Chiragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser, ac prior ille,
Qui

V. *6*. Servi apud veteres diligentius educabantur, quam multi nobiles filii familias nostræ hac ætate. Hinc illi scientiis & artibus pollebant.

V. 8. Modo se tradens vitiis.

V. *9*. Priscus erat Senator, vel eques. ingenium Prisci simile erat Tigellio, de quo sermo est in Satira 3. lib. 1.

V. 12. *Honeste*, i. unde exire sibi turpe duceret.

V. 13.* Davus fortasse erat græcus, hinc Athenas præfert Romæ, hinc drachmas nominat, non sestertios. *

V. 14. Illa Prisci inconstantia inconsulti animi argumentum erat.

V. 17. Phimus erat vasculum in turriculæ figuram conformatum, ex quo tali in alveum conjiciebantur. erat latior ex ima parte, quam ex summa, habebat intus aliquot gradus in schalarum speciem, ex quibus tesseræ, ac tali devolvebantur in mensam. vocabatur etiam turris, orca, fritillus, turricula, pyrgus.

V. 19. Non ait Davus, hominem pervicaciter vitiosum esse.

Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
Hor. Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant,
Furcifer? *D.* ad te, inquam. *H.* quo pacto, pessime? *D.* laudas
Fortunam, ac mores antiquæ plebis, & idem,
Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses:
Aut quia rem sentis, quod clamas, rectius esse;
Aut quia non firmus rectum defendis, & hæres,
Nequicquam cœno cupiens evellere plantam.
Romæ rus optas: absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis: si nusquam es forte vocatus
Ad cœnam, laudas securum olus: ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem ducis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. jusserit ad se
Mæcenas serum sub lumina prima venire

Con-

esse minus infelicem, quam qui a vitiis ad virtutem contendit; sed dumtaxat inquit, primum minus sentire infelicitatem suam, cum contra alter secum pugnet.

V. 20. Metaphora. qui modo hujus, modo illius cupiditatis jugo subditur, seque expedire conatur, est similis feræ, quæ semper infelix est, sive nitatur catenas effringere, sive tranquille eas ferat. Dacierius putat significari ludum quemdam puerilem.

V. 25. *Quod clamas*, i. quod laudas.

V. 26. Aut quia cum sis parum firmus natura, parum etiam nitaris cœno emergere.

V. 30. Horatius alibi fatetur, quod sibi a Davo exprobratur. nempe in Ep. *Quæ sit hyems*: *tutus parvula laudo, Quum res deficiunt*. de animi sui levitate in Epi. *Celso gaudere*, & *Prima dicte mihi*.

V. 32. Cœnandum.

V. 33. Latini cœnabant supremo sole, i. occidente sole, ad facem primam, cum lumina accendebantur.

Convivam: Nemone oleum fert ocyus? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.
Mulvius & scurræ tibi non referenda precati
Discedunt. Etenim fateor, me, dixerit ille,
Duci ventre levem, nasum nidore supinor;
Imbecillus, iners, sim quidvis, adde, popino,
Tu, quum sis quod ego, & fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior, verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid? si me stultior ipse
Quingentis emto drachmis deprenderis? aufer
Me vultu terrere: manum, stomachumque teneto;
Dum quæ Crispini docuit me janitor, edo.
Te conjux aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter nostrum cruce dignius? acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna

Quæ-

V. 34. *Oleum*, i. nardum.

V. 36. Mulvius parasitus cum cæteris.

V. 37. *Ille*, i. quisquam, non Mulvius. Davus dicit, se non audere contumelias iterare, quibus illum parasiti onerant.

V. 38. Esse helluonem.

V. 43. Drachma tanti valebat quanti denarius, vel 4 minores sestertii. ergo 100 drachmæ sunt centum denarii; 500 drachmæ 500 denarii, i. 2000 sestertiorum minorum.

V. 45. Fortasse Horatii vitia nota erant. sed callide egit Poeta, qui ut elevet servi accusationes, ostendit eas a suspecto ore profectas. Crispinus enim ejusque janitor erant adversarii Poetæ.

V. 46. Revera Horatius odio habebat adulterium; sed Davus sibi persuadet, eum hujusmodi crimen patraturum fuisse, si impune posset. * sed credibile, in ea pericula ultro Flaccum incidisse, quæ infra aperit Davus. in Ode 5 libri 1. ipse fatetur se ingenti periculo evasisse, dum amabat Pyrrham. *.

V. 48. Noctu & diu accendebantur lucernæ in lustris & lupanaribus: si vero legas *lacerna*; *clara lacerna* est compellucida vestis, pallium, cucullum.

Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
Dimittit neque famosum, neque solicitum, ne
Ditior, aut formæ melioris mejat eodem.
Tu, quum projectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es, quod simulas? metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert uri virgis, ferroque necari,
Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis
Contractum, genibus tangas caput? est ne marito

Na-

V. 49. Quamcumque mihi obviam aggredior; & postquam illa mille lascivis motibus omnem meum furorem consumsit &c.

V. 52. *Mejat*. obscœne dictum.

V. 53. Augustus Horatium donaverat jure ferendi annulum equestrem, & angusticlaviam.

V. 54. Depositis vestibus judicis induis mancipii vestem. equites judicabant.

V. 57. Egregius versus, qui irrequietum libidinosorum hominum animum ad vivum exprimit.

V. 58. Gladiatores domino corpus vitamque suam addicebant religioso ritu, hoc præcipue sacramento. *uri virgis, vinciri, ferroque necari*. hinc etiam τὸ *auctoratus* usurpatum est ad significandas vel infames quasque addictiones. V. g. cum quis deprehensus erat in adulterio, pecuniam solvere debebat, vel alias pœnas ultro luere.

V. 61. Postquam Davus ostendit, Horatium potiori jure mancipium esse, vilentem nuptas, præoccupat Horatii responsum; nempe hæc non esse ita formidabilia: periculum non ita magnum: solere impune adulteros abire; & uxoribus potius timendum esse, quæ a marito puniendæ sunt. hæc ita refellit Davus. Quomodo tibi potes persuadere, maritum de uxore tantum ultionem suscepturum, cum illi parum juris sit in suam uxorem, plurimum vero in adulterum?

Nonne

Naturæ peccantis in ambos justa potestas?
In corruptorem vel justior. Illa tamen se
Non habitu, mutatve loco, peccatve superne,
Quum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
Committes rem omnem, & vitam, & cum corpore famam.
Evasti? credo metues, doctusque cavebis.
Quæris, quando iterum pereas, iterumque perire
Possis. o toties servus! quæ bellua ruptis,
Quum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non sum mœchus, ais. neque ego hercule fur, ubi vasa
Prætereo sapiens argentea. tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.

Nonne ille apprime adulterum puniet? Hæc satira facta fuit ante legem Juliam. Marito nulla potestas erat occidendi conjugem in adulterio deprehensam, nisi forte eam cubantem invenerit cum liberto, servo, comœdo, sed semper poterat adulterum interimere. Augustus hanc legem correxit.

V. 63. Illa non vestem mutat, non exit domo, nec effreni libidine fertur; idcirco minori crimine tenetur, quam tu. præterea hæc mulier non tibi obsequitur, sicut mihi meretrix; non quia illa modesta est, sed quia te metuit, nullamque tibi fidem habet. ergo tecum agitur ut cum mancipio, mecum vero, ut cum honesto viro.

V. 66. *Prudens*, i. sciens. Davus est mancipium fortuna, Horatius voluntate. sensus est: tu ultro subibis supplicium, quod tibi minatur maritus, cui injuriam fecisti, qui te velut mancipium suum male accipiet. Servi ob leve quoque delictum cogebantur a dominis ignominiæ causa magis, quam supplicii circa vicinos furcam collo gestare, subligatis ad eam manibus, & plublicare peccatum suum, simulque monere alios, ne quid simile admitterent. tunc vocabantur *furciferi*; a Plutarcho dicuntur ὑπόσταται in vita Coriol.

V. 67. *Credo*, ironice.

Tu ne mihi dominus, rerum imperiis, hominumque
Tot tantisque minor? Quem ter vindicta, quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?
Adde super dictis, quod non levius valeat: nam
Sive vicarius est, qui servo paret, (uti mos
Vester ait) seu conservus, tibi quid sum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile signum.
Hor. Quisnam igitur liber? *D.* sapiens, sibi qui imperiosus.
Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in seipso totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari.
In quem manca ruit semper fortuna. potesne
Ex his ut proprium quid noscere? quinque talenta

Po-

V. 76. *vindicta*, i. festuca, virga Prætoris. (V. Ind. *Manumissio*).

V. 79. Servus atriensis erat Dominus servus, servus vicarius erat simpliciter servus. Primus tamen non minus servus erat, quam ii, quibus imperabat. hic Davus sic colligit. quisque affirmat, se natum esse liberum, sed ita vivit, ut quotidie magis rerum vicissitudinibus implicetur: cupiditates enim in dies auget.

V. 82. *Mobile signum*, i. ἀγάλματα νευρόσπαστα, sigilla αὐτόματα. vulgo *i Burattini*. Potentes illi viri, qui tot hominibus sibi subditis imperant, sibimetipsis imperare nesciunt. non modo suis ipsi cupiditatibus serviunt, sed etiam Principum vel Regum, quorum gratiam affectant.

V. 86. Qui ex se totus aptus est, in quo nihil pravi offendas. (V. Ind. *Antisthenes*).

Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelida. rursus vocat. eripe turpi
Colla jugo. liber, liber sum, dic age. non quis,
Urget enim mentem dominus non lenis, & acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
Vel quum Pausiaca torpes insane tabella,
Qui peccas minus atque ego? Quum Fulvi, Rutubæque,
Aut Placidejani contento poplite miror
Prælia rubrica picta, aut carbone, velut si
Revera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? nequam, & cessator Davus? at ipse
Subtilis veterum judex, & callidus audis.
Nil ego si ductor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus cœnis responsat opimis.
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,
Quæ parvo sumi nequeunt, cum obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam

V. 91. Egregius versus. animadverte ejus rapiditatem.
V. 98. Significat insignia, quæ domini gladiatorum suspendi jubebant in aditu loci, ubi certamina fiebant.
V. 103. Nempe es frugalissimus, dum opiparis cibis vesceris. ironia.
V. 104. Si obsequor ventri, ingens me pernicies manet.
V. 107. Acidos succos pariunt.
V. 108. *Illusi*, i. vacillantes.

Furtiva mutat strigili? qui prædia vendit,
Nil puerile gulæ parens habet? adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere: teque ipsum vitas, furtivus, & erro:
Jam vino quærens, jam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit, sequiturque
fugacem:
Hor. Unde mihi lapidem? *D.* Quorsum est opus?
H. unde sagittas?
Da. Aut insanit homo, aut versus facit. *H.* ocyus
hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

V. 110. Strigilis est instrumentum ferreum, vel æneum, vel argenteum, vel calybeum, vel corneum, &c. quo sordes e corpore abradebantur in balneis, sæpe etiam adhibebatur linteum vel spongia sub eodem nomine.
V. 112. Acute dictum.
V. 113. Acute dictum.

SATIRA VIII.

Avarum inepte prodigum salse describit.

DIALOGUS

Horatium inter & Fundanium.

Hor. UT Nasideni juvit te cœna beati?
Nam

Hæc Satira omni leporum ac salium genere referta est. Nasidienus homo dives, sed avarus, & insulsus convivium parat Mæcenati. Comites ei adjungit Varium, Fundanium, & Viscum clarissimos viros, & Principis viri amicos. Mæcenas secum ducit Servilium & Vibidium. Ad hos septem accedunt Nomentanus & Porcius Parasitus Nasidieni. Tale erat convivium, quale ab avaro homine expectandum erat, qui tamen liberalis videri velit. Mensa quidem omnibus fe-
re

Nam mihi convivam quærenti, dictus heri illic
De medio potare die. *F.* sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. *H.* Dic (si grave non est)
Quæ prima iratum ventrem placaverit esca?
Fu. In primis Lucanus aper leni fuit Austro
Captus, ut ajebat cœnæ pater, acria circum
Rapula, lactucæ, radices: qualia lassum
Percellunt stomachum: siser, alec, fecula Coa.
His ubi sublatis, puer alte cinctus acernum
Gausape purpureo mensam pertersit, & alter

re rebus affluebat, sed illæ tam male paratæ fuerant, ut honestus vir iisdem abstinere cogeretur, fameque torqueri: dapes enim corruptæ erant, aut sine delectu emtæ, aut perperam conditæ, aut inscite coctæ, aut illiberaliter adpositæ. ægerrime quis potest repente avari personam exuere, ut induat prodigi. Aliquod enim avaritiæ specimen emerget ex prodigentia illa ad speciem tantum, officiumque suscepta, & ad certum tempus duratura. Singularis est Horatii solertia in hac satira. Narrantem convivii illius vices inducit virum emunctæ naris, acerrimique judicii, tamque perlepidi ingenii, ut novæ hujus comœdiæ ridiculum ob oculos ponere probe sciat. Scripta fuit ante Epistolam 1. lib. 2; i. ante annum 744. hic sermo est de Vario vivente, illic jam de mortuo.

V. 1. Nasidienus Rufus ironice fortasse vocatur beatus. vel beatus idem est ac dives. divites enim vulgo appellabantur beati.

V. 3. Dissolutus videri cupiebat, idcirco meridiana hora convivium instruxit, nempe tribus aut quatuor horis antequam soleret.

V. 6. Aper procul dubio cujuslibet convivæ palatum titillare poterat, verum seu ex avaritia, seu ex negligentia corruptus erat. Nasidienus dixit lenis austri gratia subactum fuisse, & molliorem factum.

V. 9. Siser est herba pastinacæ non dissimilis, quæ hodie vulgo *Carvi*.

V. 11. Panno utrimque villoso, ex quo fiebant mensæ tapeta. Hoc purpureo panno stulte tergebatur mensa acer-

na.

Sublegit quodcumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere: ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
Cœcuba vina ferens: Alcon, Chium maris expers:
Hic herus, Albanum, Mæcenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat: habemus utrumque,
Divitias miseras. *H.* Sed queis cœnantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
Fu. Summus ego, & prope me Viscus Thurinus, & infra
(Si memini) Varius: cum Servilio Balatrone
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat supra ipsum, Porcius infra,
Ri-.

na. Nasidienus ita mundiciei curam ostentabat. Sed præstitisset mensam minus communem adhiberi, aut saltem illam linteo operiri.

V. 12. Mundiciem igitur avaritiæ obtendebat Nasidienus, eo enim spectabat, ut nihil deperderetur, ut omnia colligerentur in diem posterum reservanda.

V. 15. Græci aquam marinam cuilibet vino admiscebant, quod ab insulis Ægæi maris in italiam invehebatur. Sed Fundanius dicens, expers aquæ marinæ prorsus esse vinum illius amphoræ, quam ferebat Alcon, significat, illud vinum non mari devectum, sed esse Italum, quod Nasidienus tanquam Chium prædicaret. Cato, teste Plinio, rationem reperit imitandi tam apte illius vini naturam, ut vel mollissimos, acerrimique judicii potores falleret. * Terni in tres lectos distributi erant Convivæ in Triclinio Nasidieni. In medio lecto erat, 1. Servilius, 2. Mæcenas, 3. Vibidius. In lecto dextero ad latus Servilii pariter dexterum, 1. Varius, 2. Viscus, 3. Fundanius. In sinistro vero ad latus pariter sinistrum Vibidii, 1. Nomentanus, 2. Nasidienus, 3. Porcius.

V. 18. Vina Albana & Falerna optima erant, sed Nasidienus appellat ea miseras divitias, ut vinum suum cœcubum, & aliud ficto nomine propinaret facilius.

V. 22. Umbræ vocantur illi convivæ, qui licet non invitati tamen veniunt, & sequuntur tanquam umbræ alium convivam jam invitatum.

V. 24. *Semel*, i. simul.

Ridiculus totas semel absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito. nam cætera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum.
Ut vel continuo patuit, quum pasceris assi, atque Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad Lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni,
Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti:
Et calices poscit majores. vertere pallor
Tum parochi faciem nil sic metuentis, ut acres
Potores: vel, quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Alliphanis vinaria tota
Vibidius, Balathroque secutis omnibus imis.

V. 26. Maligna est hæc dicendi forma. cibi erant per se mali, idcirco multiplici jure & condimento inferciendi erant, ut saperent nescio quid diversum a natura rei ipsius. Nomentanus ait, horum ciborum saporem esse singularem. Fundanius salse ambiguis verbis utitur in re tota narranda, ait se numquam quicquam simile comedisse.

V. 29. Passer est species Rhombi.

V. 31. Melimela sunt poma dulcia. eræ patinæ fortasse circumpositis hisce pomis ornabantur, ut mos Romanorum erat; Seneca aperte hoc dicit in libro de Provid.

V. 34. Maximo cum ejus damno.

V. 36. *Parochi*, i. Nasidieni Domini.

V. 38. Singularis figura. alteri sensui tribuitur, quod est alterius.

V. 39. *Vinaria* nempe vasa. *Alliphanis* nempe poculis, exhauriunt amphoras propterea quod sæpissime pocula plena deposcunt. Alliphana pocula erant prægrandia, fictilibus Faventinis similia, quæ Alliphæ in Sammio non longe a Vulturno prope Campaniam fingebantur.

V. 40. Eorum exemplum secuti sunt ii, qui in lectis imis accumbebant.

Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.
Adfertur squillas inter Muræna natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus: hæc gravida, inquit,
Capta est: deterior post partum carne futura.
His mistum jus est oleo, quod prima Venafri
Pressit cella, garo de succis piscis Iberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur. Cocto chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud; pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere, illutos Curtillus Echinos,
Ut melius muria, quam testa marina remittat.
Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Hoc majus veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. quis esset

Fi-

V. 41. Mæcenas, Fundanius, Viscus, Varius erant temperantes.

V. 42. Quæ de Muræna veteres dicunt, non sunt iis consentanea, quæ dici possunt de pisce, quem vocamus *lampreda di mare*.

V. 46. Piscis hic Hispanus vulgo dicitur *sgombro*. capi solet in freto Carthaginis novæ. parva insula dicta *sgombrera* in aditu portus nomen hinc deduxit. Garus piscis est, cujus intestinis fingebatur alec, quod magni habebatur apud veteres. Garum vero est idem alec; & Garum sæpe dicebatur, licet ex garo pisce non constaret.

V. 52. Incoqueret in muria ex conchyliis facta. Curtillus melius facit, nam illi muriæ incoqui jubet Echinos aqua dulci minime lavatos.

V. 54. Hi tres versus admirabiles sunt.

Finis, ni Sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret? heu! fortuna, quis est crudelior in nos
Te Deus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso,
Hæc est conditio vivendi, ajebat: eoque
Responsura tuo numquam est par fama labori.
Te ne, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne panis adustus,
Ne male conditum jus adponatur? ut omnes
Præcincti recte pueri, comtique ministrent?
Adde hos præterea casus: aulæa ruant si,
Ut modo: si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris (uti ducis) ingenium res
Adversæ nudare solent, celare secundæ.
Nasidienus ad hæc: Tibi Di, quæcumque precaris,
Commoda dent: ita vir bonus es, convivaque comis,
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.
Hor. Nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
Redde age, quæ deinceps risisti. *F.* Vibidius dum
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula: dumque
Ridetur fictis rerum Balatrone secundo,

Nasi-

V. 61. *Tolleret*. ejus animum erigeret.

V. 72. Singula Servilii verba satirici aculei sunt. panis adustus, male conditum jus, servi stolidi, & ad ridiculum succincti.

V. 77. Antequam quis mensæ assideret, calceos deponebat.

V. 83. *Fictis rerum*, pro fictis rebus. ut alibi *vanis rerum*. convivæ risum cohibere non poterant. timebant autem, ne quid Nasidieno ex risu suboleret, hinc fictas res

aliqui

Nasidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albæ,
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbes:
Suaves res, si non causas narraret earum, &
Naturas Dominus; quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus: velut illis
Canidia adflasset, pejor serpentibus Afris.

aliqui prætendebant. Servilius erat scurra, qui omnia multiplici ridiculo adspergebat, ut ludum faceret Dominum vel ridebatur Nasidienus simulata epularum laudatione, quæ talibus laudibus indignissimæ erant.

V. 86. Maza erat placenta constans farina, oleo, aqua, aut lacte. Mazonomum est lanx grandis lignea, in qua illæ placentæ ponebantur. hæc vox inde adhibita est pro qualibet lance, in qua cujuscumque generis obsonia collocarentur ad mensam ferenda.

V. 88. Fortasse illa anser saginata fuit recentibus ficis juxta Nasidienum. *pastum jecur* pro *τῷ jecur anseris pastæ*. vel *pastum* idem est ac superinjectis ficubus opertum.


V. 89. Convenit inter Nasidienum, & Catium. ambo armos leporum præferebant cuilibet obsonio. palatum utrique male sapiebat. armi differunt & absunt a lumbis.

V. 91. Posteriores palumbium partes sunt molliores. Nasidienus procul dubio eas avelli jussit, quia palumbes corruptæ fuerant. clunes, priusquam alia membra putrescunt.

V. 94. Ut omnia fastidiremus.

V. 95. Veluti Canidia adflasset rebus illis omnibus pestilentem halitum.

PRÆ-



PRÆFATIO

De Epiſtola pedibus ligata.



Piſtola pedibus ligata epiſtolaris ſtili regulas ſervat. Majorem tamen vim & elegantiam, & curam oſtendere debet, quam ſoluta. Ejus materies latiſſime patet. Omnia Orationis genera complectitur. Laudat enim, vituperat, narrat, philoſophatur, differit, docet. Stilus poteſt elevari, aut deprimi ratione habita materiæ, aut ſcribentis, aut ejus, ad quem ſcribitur.

tur. Animadvertendum eſt verba, & numeros, & præcipue exordium, & finem Epiſtolæ ab nimiæ curæ, & apparatus ſuſpicione, ne dum oſtentatione debere quam longiſſime abeſſe.

Tria in Epiſtola conſideranda ſunt: nempe quis ſcribat, cui ipſe ſcribat, qua de re ſcribat. ſtilus hæc tria maximi momenti reſpicere debet, & convenientia ſervare. Tu quicumque ſcribis, vel ſuperior es dignitate, & ætate, vel inferior, vel æqualis. Quoad primum & alterum attinet, infiniti prope gradus dignoſcuntur officii, exiſtimationis, amicitiæ, benevolentiæ, amoris, grati animi, utilitatis, præteriti, præſentis, & futuri temporis, timoris, ſpei, & rerum omnium, quæ vel ipſæ exiſtunt, vel fieri poſſunt, & quæ ad ſtatum conditionemque Scribentis, ejuſque, ad quem mittitur Epiſtola, referuntur. Si quid horum omittas, inurbanus es, aut ſtultus. Vis ne nimis audire ſuperior? invidiam tibi conflas. an inferior? deſpicatui haberis. Sin vero genere & dignitate par ſis, & magnificentius de te multa prædices, offendes in æqualem, qui tibi alas, criſtaſque circumcidat. Poſtulas quid liberius? arrogantiæ argueris. timidius? tibimetipſi diffidis: Qui acri in rebus judicio pollet, optime rem acu tangit.

Stilus ſimplex quamlibet Epiſtolam decet, familiaris vero ſcribentem ſuperiorem, vel duos inter ſe neceſſitudine devinctos. laute & parce jocis utendum. Jocularia, ni mutua eſſe queant, parum habent humani, ſaltem multæ ſua-

ſuavitatis condimento adſpergenda ſunt, & amoris, benevolentiæque nectare mollienda.

Quid ſcribis? ſi de negotiis; graviter, breviter, proprie rem expedias. Ab re eſt nimia ornatus cura. Laudas, gratularis, gratias agis? caveas maxime, ne conſuetudinem ſequi videaris. Mœrentem Solaris? Ne eruditiorum more eumdem præceptis oneres, ne ingenii acumen jactes, ſed potius pius eſſe velis, & particeps triſtitiæ. Oras quidpiam, aut commendas? Solerter rogandi hominis animum ſcrutare ea ex parte, qua oppugnari facile queat. Conſilia das? ne Oracula mera crepes: hortaris? ne amore, ſtudio, cura videaris duci. exprobras? ægre te id facere ſignifices.

Quivis Epiſtolam ſcripturus rem ſalebrarum pleniſſimam aggreditur. Niſi enim omnium officiorum ſcientiam, delicatiſſimum τῆς φαντασίας faſtidium, mores, modoſque expolitiores ſocietatis, notas, ingenium, coloreſque perſonarum optime calleat, licet in rem litterariam ætatem, operamque omnem inſumſerit, nunquam ſane eam, ut decet, concinnabit. Omnino inter ſexcentos Epiſtolarum ſcriptores vix tres aut ad ſummum quatuor apud ſingulas nationes invenies, ſatis dignos, quos libenter perlegas.

Sed hæc communia cum Epiſtola metro ſoluta. Quoad alterum vero Epiſtolæ genus verſificatio materiæ accommodari debet, & ejus, cui ſcribitur, ingenio. modo leniter fluat, modo præceps obſtrepat, varietatis & novitatis laude

inſi-

insignita fulgeat. caveas tamen, ne quantum dignitatis arti tribuis, tantum fidei rebus detrahas. Suspicionem enim fraudis ars injicit, aut aliter sentiendi, quam quod ostendis, ideoque in causa esse potest, cur eo ægrius assequaris quod vis, quo impensius laboras.

Nostra ætas eo favore prosequi videtur Epistolam, quo jam pene Odem privavit. Felicius res cedit nostris Poetis. in Epistolaribus enim versibus minus affabre factis facilius connivemus, quam in Lyricis. Ode veluti vultum minantis, & magna pollicentis ostentat, quod quidem terrere solet animos. Verum hoc Lyrici Poetæ vitium ignoscendum esset, utpote fere omnibus commune scriptoribus. Utcumque res sit, Epistola hodierno tempore videtur gratior futura, quam Ode. Modeste enim sese offert. Philosophia in ea tanquam in sua sede moratur, quia ibi se liberrimam agnoscit, & quamlibet potest formam induere. Horatii Epistolæ magis quam Odæ placere nobis videntur, licet in Odis nobilitas major, major spiritus, varietas, armonia, major rerum difficultas jam victa effulgeant: sed Epistolarum dignitas est nostro ingenio accommodatior, atque usui, & quo minus latinæ linguæ conjuncta, eo magis nostræ consona. Ne putes tamen hac instituta comparatione me quicquam detractum velle justis Horatii laudibus, qui supra cæteros multiplici spiritu, sublimitate, ingenti ingenio, acri judicio, dexteritate mira, sententiarum vi & hilaritate, animi æstu, elocu-

elocutionis ornatu, Philosophia eminet. Ipse tamen nos monet, se non caruisse censoribus. Quis tamen affirmet, eos ne semel quidem vera dixisse, & hunc, vel illum ejus versum, qui nos admiratione capit, vel fastidio, in Romanis olim eumdem sensum excitasse? An non jure interdum Zoilus Homerum castigavit? Sed vel æquissimæ censuræ vim obruit multiplex operis decus, ac splendor. Hac de causa fortasse Aristarchi, & Zoili veteres evanuerunt; quod quidem recentioribus frenum deberet injicere. (Alambert, T. 5.)

Si quid igitur in hoc genere præstare cupis, Horatii Epistolas tanquam perfectissimum exemplar tibi ob oculos pone, qui eo, quo valebat ingenio, omnia cumulatissime absolvit. De singulis ejus Epistolis, earumque ratione, atque indole agam in notis, ex quibus dilucide apparebit, quam facile ipse, & solerter varios rerum nodos extricarit.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLARUM.

LIBER PRIMUS.

AD MÆCENATEM.

EPISTOLA I.

Se omissis versibus ludicris totum esse in Philosophia perdiscenda, quæ frenare cupiditates, & omnia Virtuti posthabere docet.

PRima dicte mihi, summa dicende Camœna,
Spe-

Horatius non minus celebrem Poetam, quam Philosophum agit. Inter cæteras Philosophiæ partes maxime moralem persecutus est, cum reliquæ in inanium prope rerum contemplatione versentur, contra vero moralis eo spectet, ac tendat horsum, ut hominem optimum efficiat, ac felicem. Dacierius putat ex Satiris pendere Epistolas, & in utroque genere Philosophiam moralem omni ex parte ordine pertractari; & quoniam prius vitia ex animo evellenda sunt, & præjudicatæ opiniones, ut via ad virtutem sternatur, ita contendit, ex Satirarum libris primum effici, alterum ex Epistolarum. Sed qui Horatii ingenium probe noscit, profecto videbit, eumdem Poetam licet ad scribendos versus proclivem, tamen non invitum, & ab aliis compulsum, sed pro lubitu Musis vacasse; fuisse natura levem, ideoque longo operi componendo minime accommodatum, præsertim cum Ipse ne jambos quidem, quos Mæcenati promiserat, absolverit. Qui Satiras & Epistolas bene perpenderit, animadvertet eas loco, tempori vel suo vel Amicorum & sexcentis variis rerum adjunctis fortuito, & derepente objectis deberi; ut videbimus. Dacierius eo vitio laboravit, quo non pauci, qui cum diu subjectam sibi rem perspe-

Spectatum ſatis, & donatum jam rude, quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens. Vejanius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem:
Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

ſpexerint, ſæpe mutatam ejuſdem formam vident. In hac Epiſtola excuſat ſe apud Mæcenatem, quod aliquandiu verſus facere ceſſaverit; declarat, ſe ſtatuiſſe, dare operam dumtaxat moribus ſuis conformandis. Inter ea, quæ maxime obſtant comparandæ felicitati, duo præſertim inſectatur, quæ magis communia ſunt, eademque non ita facile ſuperanda. Primum quidem eſt mentis error, dum in divitiis & honoribus ſitam eſſe felicitatem putamus; alterum vero animi inconſtantia & levitas, qua fit, ut inceſſanter ex altera ad alteram rem, & ſic deinceps amplectendam devolemus; eaque valde obſtat, quominus verum bonum cognoſcamus: Quod quidem argumento eſt, illud in ſola virtute collocari. Addit præterea Poeta, perverſam noſtrorum Amicorum indulgentiam in cauſa eſſe, cur in vitiis perſiſtamus. Tandem Stoicos ſalſe & eleganter carpit. Hæc Epiſtola vividis, & τȣ̃ πάθȣς pleniſſimis locis abundat, præſtantemque Philoſophiam redolentibus. Inter poſtrema Horatii opera recenſenda eſt, ut ex quarto verſu apparet.

V. 2. Metaphora deducitur a gladiatoribus, qui honorifice dimittebantur, poſtquam in Amphiteatro cum laude dimicarunt. In hujus miſſionis argumentum tradebatur eis a Prætore quædam virga vocata *rudis*.

V. 3. Horatius cœperat verſus facere annos natus 23, aut 24; cum hanc Epiſtolam Mæcenati inſcripſit, agebat annum ætatis 50 & amplius.

V. 6. Cum efflagitante populo gladiator jam dimiſſus rurſus in certamen redibat, oportebat, ille denuo miſſionem impetraret. Tunc jam in extrema arena conſtitutus, ubi populus erat, repoſcebat miſſionem indicat.

V. 7. Metaphorice. animum docilem.

V. 8. Noli mittere equum ſeneſcentem ad curſum, ſi ſapis; ille ſæpe pede offenſo in curſu decidet, anhelitu latera pulſabit; hinc riſus.

Nunc itaque & versus, & cetera ludicra pono:
Quid verum, atque decens curo, & rogo, & omnis in hoc sum:
Condo, & compono, quæ mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter.
Nullius addictus jurare in verba Magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes:
Nunc agilis fio, & mersor civilibus undis,

Vir-

V. 10. Poeta, dum declarat, se nolle amplius versus facere, facit. Poetarum Sacramenta sunt quædam loquendi formæ, quæ pejerandi jus minime adimunt. hujusmodi sunt etiam nostrorum temporum officiosi homines.

V. 12. Hæ sunt meæ opes, quas servo, & custodio, quibus tempore utar. animadverte, lento versu meditaadi tarditatem exprimi.

V. 16. Clarissimus Batteux diserte probat Sanadonem hos quatuor versus secus ac sonant accepisse. (developement de la morale d' Aristippe pour servir d' esplication à un passage d' Horace. Memoires de litterature tirèes des Registres de l' Accademie des inscriptions, & belles lettres. T. 26.) Sanado ita legit.

Nunc a ilis fio, & mersor civilibus undis,
Nunc mihi res, non me rebus subjungere conor,
Virtutis veræ custos, rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor.

Si versuum sensum assecutus esset Sanado, non ita eorum ordinem invertisset, invitis omnibus manu scriptis codicibus, editoribus antiquis, recentibusque omnibus interpretibus. præterea cum ille pro τῷ & *mihi res* legat, *nunc mihi res*, tria membra statuit pro duobus. Retinendus est antiquus versuum ordo, ubi duæ comparationis partes mirificum inter se quasi concentum faciunt. Duo versus primi ex illis quatuor pertinent ad Philosophiam austeram stoicorum, ceteri vero duo ad voluptuosam: ex quo duæ sibi invicem venuste oppositæ & inter se aptæ imagines existunt. Lege apud Sanadonem explicationem loci. „ tàntost actif „ & vigilant je me jette dans les affaires jousqu' au cou; tan„ tost partisan outrè de la vraie vertu, ie tache de gouver„ ner les affaires sans m' en laisser gouverner. Quelque fois „ aussi je rentre come a la derobèe dans l' ècole d' Ari„ stippe. „ In interpretandis illis duobus primis versibus ita dividit membra, ut sibi invicem opponantur reclamante, &

repu-

Virtutis veræ custos, rigidusque satelles,
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus submittere conor.

repugnante logica. Deinde quid opus est τῷ *jusq' au cou*, & *gouverner les affaires*? animadverte, quemadmodum suam sententiam exprimit in suis animadversionibus, & quomodo suum illud repertum prædicet. „ il me paroit, que le seconde de ces vers ne sçauroit convenir avec le premier, „ ni le quatrieme avec le troisieme. „ (loquitur Sanado de versibus communium editionum) „ comment allier cette „ flexibilitè d' esprit necessaire pour bien manier les affaires, avec cette roideur d' une vertu rude, & austere? „ Quoi de plus oppose au caractere l' Aristippe souple & „ pliant quelque fois jusqu' à la bassesse, que cette independance d' un esprit imperieux, qui maitroise, & gourmande, pour ainsi dire, les affaires? Je suis surpris, qui „ une contradiction si marquèe n' ait pas sautè aux yeux „ de tous les interpretes. Monsieur Coste a montrè, qui „ ils s' etoient tous trompès. L' on peut dire, qu' il ne „ s' est pas moins trompè, que les autres. Par le nouvel „ arrangement, que je donne a ces vers, tous les embartas „ disparoissent; il n' y a plus ni obscuritè dans les pensees, ni confusion dans les caracteres. c' est ici une des „ occasions, ou la raison doit corriger les manuscrits..... Horatius igitur air. Philosophus ego sum, ita tamen, ut nulli sectæ addicar, nullumque ducem constanter sequar. *nullius addictus* &c. cum lubet ab altero ad alterum me translatum volo: nunc cum Antisthene & Zenone affirmo, societati humanæ obnixe inserviendum, & Remp. administrandam, me totum rebus gerendis trado. *agilis fio*. immemor mei ipsius totis animi corporisque viribus contendo, ut amicis, concivibusque meis maximo sim adjumento. *mersor civilibus undis*. Et ecce rigidissimus propugnator sum asperrimæ virtutis, *virtutis veræ custos* &c. Non tamen diu sibi constat animus: nunc quadam naturæ propensione ductus recido, *mox relabor*: imprudentet, *furtim*: in Aristippi doctrinam, *in Aristippi præcepta*: qui dumtaxat sibi uni studebat, & ego ad exemplum illius, quidquid dulcis & jucundi sensu percipere queo, (in quo meam felicitatem sitam esse judico) amplexu teneo. omnia ad me tanquam lineas ad centrum, conversa volo, non me ad omnia; volo omnia indiscriminatim intueri: *& mihi res non me rebus* &c. ut fusius & clarius rem intelligas, vide Ind. *Antisthenes*.

Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
Lenta videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum;
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ spem,
Consiliumque morantur agendi naviter id, quod
Æque pauperibus prodest, locupletibus æque;
Æque neglectum pueris, senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam, solerque elementis;
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere Chiragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia, miseroque Cupidine pectus?
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire laborem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator:
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere; & sapientia prima,
Stul-

V. 21. Mercede conductis.

V. 27. *Elementis* sapientiæ.

V. 28. Ego mihimetipsi dicere soleo: pro nihilo habes, te posse cernere acutum, ut Lynceus, sed cum ex oculis laboras, ad remedia confugis. tu non eris robustus, ut Glyco, idcirco nolis a corpore arcere Chiragram? &c.

V. 29. Lippus vocatur a Plinio gramiosus, & lippitudo gramia, ex copia fluentis pituitæ. sic ophthalmia ex inflammatione membranarum ocularium.

V. 37. *Pure*, i. animo non turbato, vel recta docendo.

V. 38. Horatius his omnibus fere vitiis tenebatur. viri aulici conantur ea Principum virorum oculis subtrahere. Sed ille sua vitia ob oculos Patroni sui ponit, quominus suæ famæ quidquam detrahi vereatur.

V. 41. Animus ad malum proclivis ingenito virtutis semine indiget.

Stultitia caruiſſe: vides, quæ maxima credis
Eſſe mala, exiguum cenſum, turpemque repulſam,
Quanto devites animi capitiſque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:
Ne cures ea, quæ ſtulte miraris, & optas,
Diſcere & audire, & meliori credere non vis?
Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere palmæ?
Vilius eſt argentum auro, virtutibus aurum.
O cives, cives quærenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Prodocet: hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſque
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto.

V. 47. Ordo eſt. *non vis dicere, & audire, & meliori credere, ne cures ea, quæ ſtulte miraris & optas*. *τὸ ne cures* ſignificat, ne afficiaris cupiditate: tu maria curris ad divitias comparandas, quæ te felicem facere nequeunt, dum tu non vis audire amicum, cujus conſilia te beare poſſunt. Debellata Ægypto Romani mercatores ad Indos uſque pervenire ſolebant, & commutandis mercibus maximos quæſtus facere.

V. 49. Athleta ſtrenuus ſolitus pugnare in vicis, recuſabit coronari in certamine Olympico, ſi ſine ſanguine, & ſudore ſperet ſe palmam conſecuturum?

V. 50. Ad, inter, Olympia.

V. 53. Tamen audimus quotidie has voces: *o cives* &c.

V. 56. * Sanado expunxit verſum hunc, qui reperitur etiam in Satira 6. lib. 1. *Non quia Mæcenas* &c. ubi ſermo eſt de diſcipulis, qui Magiſtros cum tabula arithmetica adeunt; aitque huic loco non convenire, ubi de mercatoribus, & argentariis, qui in officina ſua ſedent, ſermo eſt. Sed quamvis agatur hic de argentariis & mercatoribus, tamen ea documenta a majoribus *dictata*, i. accepta pronunciare ipſi poterant, dum Janum petebant, ferentes loculos, & tabulam. Cum vero Horatius dicat, hæc dictata, quæ Janus prædocet, nempe mercatorum turba, recini a juvenibus & ſenibus, indicat, fere omnes cives operam dare conge-

Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidesque:
Sed quadringentis sex septem millia desint,
Plebs eris. At pueri ludentes, rex eris, ajunt,
Si recte facies. Hic murus aeneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nenia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis, & decantata Camillis?
Is ne tibi melius suadet, qui, ut rem facias, rem
Si possis recte, si non, quocumque modo rem:
Ut propius spectes lacrymosa poemata Pupi:
An, qui fortunæ te responsare superbæ
Liberum, & erectum præsens hortatur, & aptat?
Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non

gerendæ pecuniæ, & fœnori dandæ & ideo ferre secum loculos, & tabulam expensi & accepti, jure igitur hunc versum suo loco restituimus. * .

V. 57. Fac quadringentis millibus sestertiis minoribus desint sex vel septem eorum millia, non eris præterea eques, sed plebs. Populus infra equites sedebat. Augustus sanxit, fundum equitum esse debere 600000 sestertiorum minorum, cum antea esset 400000. Horatius hic loquitur de Lege Roscia, hinc sequitur veterem consuetudinem.

V. 59. Acri hujusce comparationis sale corroborat magis magisque, quæ dicit. Ex hac parte lex ait: si 400000 H. S. adsit fundus æstimatus, eques eris: ex illa vero pueri dicunt, vis tu inter nos primas tenere? strenue agas supra ceteros. Pueri certe rectius loquuntur, quam lex Roscia. Lex illa ad infanda quæque patranda impellit homines, modo opes acquirant; puerorum vero doctrina nulla habita divitiarum, & fortunæ ratione gloriam proponit meritis adipiscendam, latet quinam fuerit hic puerorum ludus.

V. 64. Quæ cantata fuit ad cullam Curiorum &c.

V. 69. Aptat te responsare fortunæ, aptat te certamini cum fortuna. Sapiens & fidus Amicus non modo nos ad virtutem excolendam hortatur, verum etiam opem nobis adfert, & nos aptos efficit eidem exercendæ.

V. 70. Lex Roscii Othonis de ordinibus secernendis sapientissima esse putabatur; sed non ita sentiebat Horatius, qui

Non ut porticibus, ſic judiciis ferar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiam, quæ diligit ipſe, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam. Quia me veſtigia terrent
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum:
Bellua multorum eſt capitum, nam quid ſequar, aut quem?
Pars hominum geſtit conducere publica: ſunt, qui
Cruſtis, ac pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque ſenes, quos in vivaria mittant.
Multis occulto creſcit res fœnore. Verum
Eſto: aliis alios rebus, ſtudiiſque teneri:
Iidem eadem poſſunt horam durare probantes?
Nullus in orbe ſinus Bajis prælucet amœnis,
Si dixit dives, lacus & mare ſentit amorem
Feſtinantis heri, cui ſi vitioſa libido
Fecerit auſpicium, cras ferramenta Theanum
Tolletis fabri. lectus genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil cœlibe vita.
Si non eſt, jurat bene ſolis eſſe maritis:

qui plurima damna hinc redundatura videbat, quoad mores & Reip. adminiſtrationem. Hoc ſuum judicium Apologo ſatis noto, & ad rem pertinente confirmat.

V. 71. Sapiens ubique munere ſuo fungitur, ejus mens non ab aere, quem ducit, nec ab hominibus, quibuſcum vivit, pendet, nec a conſuetudine vivendi. Videbat Poeta quamplurimos honoribus divitiiſque deditos, qui ſe felices ducebant; ille Æſopicæ vulpis inſtar judicat, in hujuſmodi rebus hominis felicitatem minime ſitam eſſe.

V. 76. Populus aliter atque ſapiens judicat.

V. 77. *Publica*, i. vectigalia.

V. 83. Præ ceteris ſplendet.

V. 84. Nobilis & energica metaphora.

V. 86. Cupiditatibus pravis, tanquam Numini libenter devovemur, illæ ſunt velut auſpicia, quæ ſequitur homo inconſtans. ita Dacierius. Sanado vero ſic. cujus vitioſæ, & præpoſteræ cupiditati jam mutatæ ſi auſpicium aliquod annuerit.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride: mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores; conducto navigio æque
Nauseat, ac locuples, ducit quem priva triremis.
Si curatus inæquali tonsore capillos
Occurro, rides; si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides. Quid mea cum pugnat sententia secum?
Quod petiit, spernit: repetit, quod nuper omisit:
Æstuat, ac vitæ disconvenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?
Insanire putas solemnia me? neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati? rerum tutela mearum
Cum sis, & prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.

Ad

V. 91. Plebs divitum luxum imitari verebatur, nonnulli tamen ea stultitia tenebantur, quam oculis Mæcenatis subjicit. *τῷ pauperem* fortasse Horatius se ipsum indicat.

V. 94. Veteres dicebant *curare capillos* pro tondere, secare.

V. 95. Subacula est tunica linea quæ suberat alteri tunicæ. *pexa & trita* sibi invicem opponuntur; *pexa* pertinet ad villosos pannos, ideoque recentes.

V. 97. Callidissime, & lepidissime dictum. sua vitia ingenue fatetur, & magnæ se levitatis accusat, & insuper queritur Mæcenatem patienter huic levitati, & aliis vitiis gravioribus, indulgere, eumdemque leviora acriter carpere solere. Certe aliquando animum nostrum ita obcæcat amicitia, ut nimium quam par sit, in amicorum vitiis conniveamus. scite Poeta & blande Mæcenatem objurgat, eodemque tempore, quam cum illo familiariter agat, significat.

V. 100. Procul dubio villam suam in agro Sabino erexerat, & postea aliquam partem mutaverat.

V. 101. *Insanire solemnia*, i. communi insania laborare.

V. 106. Ex optimis hisce Stoicis præceptis videmus nos posse colligere Horatium Stoicum agere. Sed falso. ille statim nobis errorem depellit. irridet enim Stoicorum doctrinam. hic locus omnibus leporibus affluit; præsertim cum tota illius vis ultimis verbis insit.

Ad summam, sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum:
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

V. 107. Duplici illo morbo oculorum angebatur Horatius, de quo aliquid superius diximus. „ primus vocatur „ *arida lippitudo* a Celso, a græcis ξηροφθαλμία, sub hoc „ neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantum, „ & cum dolore quodam; alterum vero pituita oculorum, „ qua semper humore tenui madent; quæ res aspritudinem „ continuat, & ex levibus momentis inflammationes, & „ lippitudines excitat. „ in Satira *Egressum magna* loquitur poeta de primo, hic vero de altero.

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Homerum præ Philosophis omnibus optimum esse Virtutis Magistrum declarat, & ad Sapientiæ studium mature capessendum hortatur.

TRojani belli Scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi:
Qui,

Norisius inquit, hanc Epist. & 18 hujus libri non eidem Lollio scriptas fuisse, cui Horatius dicaverat Odem 9 lib. 4, sed ejus filio. Dacierius vero affirmat, hanc inscriptam esse Patri Lollio. Audiamus nunc Sanadonem. Majori natu Filio Lollii mittit hanc Poeta, in qua docens, quomodo Homerus legendus sit, optimis eum præceptis contra invidiam, avaritiam, incontinentiam, iracundiam munit. Præclare etiam ostendit, quomodo ex illustrium Poetarum lectione fructus maximos percipere possimus. ingeniose concinnata est. Lollius Homerum sibi videtur audire, non Horatium. scripta est anno 725, vel 726.

V. 1. Ex duobus fratribus major natu.

V. 2. Nobiles juvenes summa cum laude frequentare forum, & privatorum causas perorare certabant, sed antequam publicam in arenam eloquentiæ suæ specimen daturi prodirent, fictis argumentis propositis diu multumque linguam exercebant, privata in umbra, ducibus optimis Rhetoribus. Præneste est urbs Latii, *frigidum* vocatur in Ode 4. lib. 2.

Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula, quæ Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum, ac populorum continet æſtus.
Antenor cenſet belli præcidere cauſam.
Quod Paris, ut ſalvus regnet, vivatque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Pelidem feſtinat, & inter Atridem.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque;
Quidquid delirant reges, pleɛtuntur Achivi,
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira
Iliacos intra muros peccatur & extra.
Rurſum quid virtus, & quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem:
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes,
Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor
Dum ſibi dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis;
Sirenum voces, & Circæ pocula noſti:
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors:
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Nos

V. 4. Significat, exempla ab Homero allata altius infigi legentium animis, quam præcepta arida, & inornata, quæ traduntur a Philoſophis; non probat autem, hoc & ſuperiori verſu Actionem in Epico Poemate allegoricam natura ſuapte eſſe debere, ut aliqui ſuſpicantur.

V. 7. *Barbariæ*, i. Phrygiæ. *lento*, quia illud bellum 10 annos continuatum eſt.

V. 8. *Æſtus*, i. τὰ πάθη.

V. 9. Reddere græcis Helenam.

V. 10. Ad quod Paris ſe negat poſſe cogi, etiam ut ſalvus regnet.

V. 12. (Vide Ind. *Agamemnon*.

V. 24. Ut ſtultus, & cupidus.

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati;
Sponſi Penelopæ, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus:
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cytharæ ceſſantem ducere ſomnum.
Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones;
Ut te ipſum ſerves non expergiſceris? atqui
Si nolis ſanus, curres hydropicus, & ni
Poſces ante diem librum cum lumine, ſi non
Intendes animum ſtudiis, ac rebus honeſtis;
Invidia, vel amore vigil torquebere. nam cur
Quæ lædunt oculum, feſtinas demere, ſi quid
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit habet: ſapere aude.
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Ruſticus expectat, dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Quæ-

V. 31. Somnum tardantem adlicere, invitare. * Roſellus, qui legit *ceſſatum ducere curam*, (quod habent omnes MSS. Codices, excepto uno, qui *ceſſantem*,) ait, ibi Horatium non loqui de juvenibus, qui ſemper dormire velint, ſed qui ævum traducunt partim agendo ſomnum, partim voluptates conſectando. Suſpicatur itaque ita ſcriptum fuiſſe verſum a Poeta, *Ad ſtrepitum Cytharæ, ceſſatum, educere curam*: ut ſenſus ſit: ad ſonum lyræ, qua ſonare ceſſatum fuerat, ut locus daretur ſomno, pellere genus omne curarum. Sed Roſellus ſe, & noſmet ambagibus involvit. Si legas *ceſſantem ducere curam*, τὸ *ducere* poteſt eſſe pro *decipere*. Puto locum corruptum eſſe. *

V. 34. * Cum Dacierio & cæteris legimus *curres*. hydropicus currere jubebatur, ut hac exercitatione detumeſceret affectum corpus. Celſus cap. 23. lib. 3. ait de hujus morbi remedio: *multum ambulandum, currendum aliquando eſt*: non mihi arridet Bentlej & Sanadonis opinio, qui legentes *cures*, explicant ita. ſi nolis expergiſci ſanus, cures expergiſci hydropicus, putantque hydropiſiam eſſe hic morbum quemlibet, & metaphorice mollitiem, & alia hujuſmodi vitia. certe eodem tempore ſanus, & hydropicus, i. vigil & mollis eſſe non poterat Lollius. *.

V. 43. Animadverte curioſam verſus celeritatem in ſignificando fluminis curſu.

Quæritur argentum, puerique beata creandis
Uxor, & incultæ pacantur vomere ſylvæ.
Quod ſatis eſt, cui contigit, hic nihil amplius optet.
Non domus & fundus, non æris acervus, & auri.
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, juvat illum ſic domus, ac res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collecta ſorde dolentes.
Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis, aceſcit.
Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.
Semper avarus eget. certum voto pete finem:
Invidus alterius macreſcit rebus opimis.
Invidia Siculi non invenere Tiranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, ac mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.
Ira furor brevis eſt. animum rege, qui niſi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magiſter

Ire

V. 49. Si dives æger ſit, non fruetur bonis, quæ tot laboribus ſibi paraverat.

V. 52. *Lippum*, i. ophthalmia ſicca laborantem, qui indiget collyriis, qui videre aperte non poteſt tabulam pictam. quo enim vividiores ſunt colores, eo magis irritant ægros oculos.

V. 53. *Collecta ſorde*, i. apoſtemate.

V. 55. Epicurus nocentes voluptates, i. cum dolore, ignominiaque conjunctas arcebat. Idem ſentiebat Ariſtippus.

V. 60. *Dolor ac mens*, i. dolor mentis, offenſio, *ἓν διὰ δυοῖν*. pœnitebit, ſe nimis indulſiſſe dolori, & citius quam par eſt, explere odium voluiſſe, quod ſemper putat eſſe inultum. Rob. Stephanus legit *exmens*. ſed nullum adfert hujus vocis exemplum.

Ire viam, qua monſtret eques: Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in ſylvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer; Nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. Quod ſi ceſſas, aut ſtrenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec præcedentibus inſto.

V. *66.* In privata area ſolebant exerceri canes ſectando pellem aut Cervi, aut alterius feræ, ut avidiores fierent, & naſum illi odori aſſuefacerent, utque facilius perſcrutarentur, & exagitarent notas feras venando.

V. *68.* Hic adoleſcens agebat annum ætatis 17.

V. *70.* *Ceſſas*, i. otiaris. hydropicus es, ut ſupra, v. 34.

V. *71.* Nec citius percurram, nec lentius virtutis viam, ad quam te adpello. his duobus poſtremis verſibus confirmatur lectio *τῦ curres* v. 34.

E P I S T O L A III.

AD JULIUM FLORUM.

Quædam de Tiberio, ac ſuis ipſius Amicis percontatus, Florum ad ſapientiæ ſtudium cohortatur.

JUli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Auguſti privignus, ſcire laboro.
Thraca ne vos, Hebruſque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia terras,
An

Poeta viam monſtrat, quam carpere debebat Tiberius per Thraciam, Helleſpontum, & Aſiam minorem; Optime convenit Horatium inter & Vellejum hac ſuper re. Brevis hæc Epiſtola recte nos inſtruit, ac delectat, Perſonarum ingenia affabre deſcribit, ſententiis gravibus referta eſt, naturam ad vivum exprimit. Florus Horatium de negligentia arguerat, quod nullam ſibi ſcriberet Epiſtolam, Horatius contra quaſi injuriam ulturus eum rogat quamplurimas publicas privataſque res ſibi enarrandas, quæ certe longam a Floro Epiſtolam poſtulaſſent.

V. 3. Hebrus Thraciæ flumen rum glacie operiebatur, & glacies nive.

An pingues Aſiæ campi, colleſque morantur?
Quid ſtudioſa cohors operum trahit? hoc quoque curo,
Quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit?
Bella quis, & paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,
Faſtidire lacus, & rivos auſus apertos,
Ut valet? ut meminit noſtri? fidibuſne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet, auſpice Muſa?
An Tragica deſævit, & ampullatur in arte?
Quid mihi Celſus agit? monitus, multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, ac tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo:
Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus. ipſe quid audes?
Quæ circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum eſt, ac turpiter hirtum,
Seu linguam cauſis acuis, ſeu civica jura
Reſpondere paras, ſeu condis amabile carmen;
Prima feres hederæ victricis præmia. Quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quo te cœleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus & ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere chari.

De-

V. 14. Τὸ *Deſævit* indicat τὰ πάθη, quæ regnare debent in Tragœdia, τὸ *ampullatur* gravitatem, & ſublimitatem ſtili.

V. 16. Plagium exprobrat Albinovano. Audiant Horatium permulti illi litterarii plagiarii. legant illuſtrium Scriptorum opera, eorum veſtigiis inſiſtant, ſententiarum vim, ſcribendi rationem, acre eorum judicium perdiſcant, ſermonis puritatem combibant, ſed res ipſas ex ſuo penu promant, ſuas opes proferant, quas venditent.

V. 26. Miſſa facit hæc fomenta, hæc odia. Florus certe ea non ignorabat, ac propterea proficere poterat.

V. 28. Pauperes, & divites, ignobiles, & nobiles.

Debes hoc etiam rescribere, si tibi curæ,
Quantæ conveniat, Munatius, an male sarta
Gratia nequicquam coit, ac rescinditur; & vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
Indomita cervice feros? ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus,
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

V. 33. Rerum humanarum, & communis vitæ inscitia.

V. 35. Non quod Florus & Munatius vere essent Fratres, ut perperam asserit Dacierius; sed significat, Florum, & Munatium eo amicitiæ vinculo antea fuisse devinctos, quo duo Fratres obligari solent.

EPISTOLA IV.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Dotes ejus prædicat, & proposita mortis cogitatione ad hilaritatem convertit.

Albi nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum sylvas inter reptare salubres,

Cu-

Aliqui dubitant, utrum Poetæ Tibullo hæc Epistola inscripta fuerit. Tibullus natus est anno *690*, vel *691* eruditorum hominum sententia. Colligere hinc licet, Flaccum familiariter Tibullo uti potuisse. Docta manu Poeta documenta, laudes, flores, jocos, sales spargit.

V. 1. Aliqui legunt *juvenem* loco *τῦ facere*. juvenis adhuc vocabatur, qui agebat ætatis annum 44, vel *46*, quo Tibullus obiit.

V. 3. Tibullus inclytus Poeta erat, ideoque nunquam inanem & stultam Cassii fœcunditatem sibi imitandam proposuisset. jocatur igitur Flaccus.

V. 4. *Reptare* est membra ægre trahere; quod certe verbum non indicat jucundam deambulationem. Sed fortasse deam-

Curantem quidquid dignum sapiente, bonoque est?
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui sapere, & fari possit, quæ sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena
Inter spem, curamque timores inter, & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.
Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

deambulandi difficultas manabat ex infirmo corporis Tibulliani habitu; & idcirco ille ægre pedes ferebat, vel figurate significat rerum Philosophicarum meditationem, in qua animus defixus alia ex aliis infert ratiocinando, ut tandem ad veri & boni cognitionem perveniat.

V. 8. Quam quid sapere, acri judicio uti. quid majus noceat nutricula alumno, qui possit fari, &, quæ sentiat, fari, & cui &c. errat Dacierius, qui putat Tibullum dissolutum hominem fuisse, & omnia bona sua obliguriisse.

V. 11. Mensa delicata & munda, & facilitas scribendorum illustrium versuum.

V. 12. Spes quodammodo demit potius, quam augeat voluptatem. bonum, quod spe non proponitur, avidius & jucundius acquiritur, quia, cum animus in fovendis votis vires suas minime exhauserit, vividissimo voluptatis sensu bonum sibi repente subjectum arripit. subita rei acceptio, si utilis sit, est nova voluptas, seu voluptatis accessio. Concinunt hæc Horatii verba Tibulli Elegiis, in quibus amores suos prodit.

V. 13. *Diluxisse* pro *illuxisse* nusquam reperies. Rosellus putat legendum *tibi disluxisse*. videlicet: Quemque diem specta tanquam postremum, quem tibi Dii concedunt.

V. 14. Tibi grata, jucunda erit.

V. 15. Significat florem illum bonæ valetudinis, illum naturalem, & vividum colorem, qui emicat vultu succi pleno robustorum hominum.

V. 16. Meybomiu. putat legendum *parcum* pro *porcum*.

EPI-

E P I S T O L A V.

AD TORQUATUM.

Invitat eum ad frugalem cœnam, ſed mundam & genialem.

SI potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella,
Supremo te ſole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes, iterum Tauro diffuſa, paluſtres
Inter Minturnas, Sinueſſanumque Petrinum.
Si melius quid habes, arceſſe, vel imperium fer.
Jamdudum ſplendet focus, & tibi munda ſupellex,
Mitte leves ſpes, & certamina divitiarum,

Hæc brevis Epiſtola nonnulla docet, quibus indigère poterat Torquatus. Laudat Poeta vinum ratione ſane hilari & vivida, qua teſtatur animum ſuum optime paratum ad excipiendum Amicum. ex 9 verſu colligitur, ſcriptam fuiſſe anno 734.

V. 2. Omne olerum genus, varia leguminum genera. *herbas omnes*, ait Cicero, *ita condiunt, ut nihil poſſit eſſe ſuavius*. lib. 7. ep. 26. famil.

V. 3. Eſt ille Torquatus, cui Odem *Diffugere nives* dicat. L. Manlius Torquatus, qui conſul fuit anno 689, fuit fortaſſe hujus Patruus.

V. 4. Igitur illud vinum erat quinquenne.

V. 5. Minturnum & Sinueſſa urbes erant in extremo Latio prope Campaniam. Petrinum non longe aberat Sinueſſa.

V. 6. Si meliori vino uteris, quam ego meo, jube ferri aliquot amphoras eo plenas domum meam; ſin minus, acquieſce conditioni, quam tibi propono.

V. 7. Focus meus.

V. 8. Torquatus vir nobilis magnas ſpes fovere poterat, ſed non cuique facile eſt, omnia ſua vota in officio continere. fortaſſe ille tranſverſus agebatur cupiditatibus. Horatius illum orat, ut eas temperet.

Et Moſchi cauſam. Cras nato Cæſare feſtus
Dat veniam ſomnumque dies. Impune licebit
Æſtivam ſermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunas, ſi non conceditur uti?
Parcus ob hæredis curam, nimiumque ſeverus
Aſſidet inſano: potare, & ſpargere flores
Incipiam, patiarque vel inconſultus haberi.
Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes jubet eſſe ratas: ad prælia trudit inermem:
Solicitis animis onus eximit: addocet artes:
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?
Hæc ego procurare, & idoneus imperor, & non
Invitus; ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares: ne non & cantharus, & lanx
Oſten-

V. 9. Chabotius & Dacierius putant ſignificari Auguſtum, Maſſo Julium Cæſarem, Sanado vero Cajum Cæſarem Auguſti nepotem, Agrippæ filium.

V. 10. Dat ſomni veniam. diebus feſtis quodlibet opus utile ex lege ceſſabat.

V. 11. Τὸ *Tendere* opponitur τῷ *æſtivam noctem*. noctes æſtivæ ſunt breves, idcirco ait, ſe non dimenſurum dulcem congreſſum brevitate noctis, ſed producturum diutius.

V. 12. Fingit de ſe ipſo loqui, cum revera de Torquato verba facere inſtituat. Animadverte in varianda, molliendaque præceptorum vi Poetæ ſolertiam.

V. 14. Parum abeſt ſtultitia, ſimilis eſt ſtulto. ſingularis & egregius dicendi modus.

V. 15. Præſtat, te dicere, malo meis bonis uti, ut cum amicis genio indulgeam, quam parcere eorum uſui, ut hæredem meum ditem.

V. 16. *Deſignat*, i. facit. accipitur in bonam partem. præclare laudat vinum, ut in carmine, *O nata mecum*:

V. 20. Munditia juxta Epicurum præſtabat, quam opipara menſa. idem ſentiebat Horatius. *Toral* proprie eſt culcita, hic vero pro toto lecto accipitur.

V. 22. *Mappa* pro tota re lintearia. Suppeditabat convivii Dominus mantilia, quæ operiebant menſam, & aliquando etiam lectos, & linteum abſtergendis manibus aptum. Lintea vero, quæ unctis manibus mundandis, & labris inſerviebant, ferebantur a ſingulis convivis.

Ostendant tibi te: ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coeat par,
Jungaturque pari: Butram tibi, Septimiumque,
Et nisi cœna prior, potiorque puella Sabinum
Detinet; adsumam. Locus est & pluribus umbris:
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ:
Tu quotus esse velis, rescribe: & rebus omissis,
Atria servantem postico falle clientem.

V. 27. Illa puella, quam potius concupiscet, quam cœnam nostram. loquitur fortasse de Aulo Sabino celebri Poeta.

V. 29. Sed memento ex nimia convivarum multitudine exhalari graves odores, & multa indecora effici. *hircus* est hic odor gravis, qui ex sudantibus æstu axillis effluit.

V. 30. Posteriori porta.

E P I S T O L A VI.

AD NUMICIUM.

Sapientem nihil admirari præter virtutem.

NIl admirari prope, res est una, Numici,

Admiratio elaterii instar nostras omnes cupiditates movet, & varios illos, ac prope infinitos edit motus, quibus totus vitæ nostræ cursus peragitur. Sed duplicis generis est admiratio: altera quidem rationi consentanea, quæ nos ad virtutem ducit, altera vero stulta, quæ nos a virtute abducit. Ostendit in hac Epistola Horatius miseros esse mortales, quia ea admirantur, quæ negligenda sunt. ex quo colligendum est, solam virtutem omni admiratione esse dignissimam. Sæpius in præcedentibus libris id pertractatum est; sed apprime in hac Epistola, quæ omni venustate ad delectandum prædita est, & omni vi ad persuadendum. Apta & concinna verum varietas legentium fastidium utiliter eludit, eorumque animos facilius permulcet: hæc Epistola scripta fuit post annum 729.

V. 1. Dei est, non hominis nil admirari. Sed sapientis

Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum.
Hunc ſolem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectant. Quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis, & Indos?
Ludicra quid, plauſus, & amici dona Quiritis?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis, & ore?
Qui timet his adverſa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto. Pavor eſt utrobique moleſtus.
Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque:

Gau-

eſt non admirari, quidquid vulgus fere ſolet. Hoc modo ſapiens viam ſibi ſternit ad felicitatem conſequendam. Numicia gens Romæ illuſtris erat, ſed quinam fuerit hic Numicius, latet. An exſcriptorum vitio extat adhuc τὸ *Numici* pro *Numaci*?

V. 4. *Momentis*, i. motibus. Pythagoras & Democritus dicebant, ſe intueri quidem, non autem admirari hujuſce mundi ſtructuram, quia putabant omnia fortuito eveniſſe. Nonne res miraculo proxima eſſet, tantum opus caſu effici potuiſſe?

V. 5. *Munera*, i. aurum, gemmas &c.

V. 6. Indicat Arabiam Felicem prope ſinum Perſicum. Non eo conſilio hæc dicit Horatius, ut eos Philoſophos imitemur, qui magna ducti ingenii vi nihil dignum ſua admiratione reperiebant; ſed ut oſtendat, nos in contrarium vitium ſolere offendere, admirantes ea, quæ prorſus indigna ſunt. Intuentur, inquit, indiſcriminatim res pulcherrimas; nos vero non pudet ita abjici, ut vel ea, quæ deſpicatui habenda ſunt, ſuſpiciamus.

V. 9. Non omnes eodem modo illorum fortunæ bonorum fulgore capiuntur; aliqui dicunt, ſe velle ea incommoda vitare, quæ ex illorum privatione dimanant; non quæro, ajunt, diteſcere, ſed timeo, ne pauper fiam; non ſum ludorum ſtudioſus, ſed volo ſolitudinem effugere, & faſtidium; non affecto Magiſtratus, ſed nolo otiari. Poeta oſtendit, has duas ſententias ex eodem fonte proficiſci, & eſſe æque vitioſas.

V. 10. *Pavor*, i. perturbatio animi.

V. 11. Species rerum, quæ ſenſibus ſubjiciuntur, obſtupefaciunt utrumque, cum gratæ ſunt.

Gaudeat an doleat, cupiat metuatne: quid ad rem,
Si, quidquid vidit melius, pejusve sua spe,
Defixis oculis, animoque, & corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat; æquus iniqui,
Ultra quam satis est, Virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum, & marmor vetus, æraque, & artes
Suspice: cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem:
Navus mane forum, & vespertinus pete tectum:
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus, & (indignum quod sit) pejoribus ortus,
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.
Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas;
Defodiet, condetque nitentia. Cum bene notum
Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit, & Ancus.

V. 12. Quid ad rem? utrum quidquam prodest? &c.

V. 13. Si omnibus bonis, & malis, quæ inopina accidunt, adeo adhæret, ut ratione, & sensibus cavere videatur?

V. 19. Eloquentia cordati juvenes viam sibi aperiebant ad honores, & divitias acquirendas. Cicero homo novus, & exigui municipii eques eloquentia sua primas Reip. dignitates adeptus est, & domum suam ditavit. hac de causa hortatur Numicium, ut forum frequentet.

V. 22. Quia indignum tibi videtur, te cogi homini ignobiliori invidere, non illum tibi.

V. 24. Vanæ sunt istæ causæ, quas in medium adfert. Nam Natura suas habet ipsa vices. Quidquid enim est sub terra, ætas palam faciet, & obruet quidquid in propatulo erat. Muretus recte monet, hunc locum desumtum ex Ajace Flagel. Sophoclis. loci græci sensus est: *Omnia longum, & immensum tempus edit in lucem obscura, & clara occultat.*

V. 26. Hæc porticus erat prope Pantheon, quod Agrippa absolvit anno 729. hæc Epistola igitur est hoc anno posterior.

V. 27. Si fortuna tibi non eripiet bona, mors tamen te iis privabit; ergo bona, quæ caduca sunt, non adeo expetenda.

Si latus aut renes morbo tententur acuto,
Quære fugam morbi. Vis recte vivere? quid non?
Si virtus hoc una potest dare; fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas, &
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas:
Mille talenta rotundentur, totidem altera; porro &
Tertia succedant, & quæ pars quadret acervum,
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.
Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex.
Ne fueris hic tu. Chlamides Lucullus, ut ajunt,
Si posset centum scenæ præbere, rogatus,
Qui possum tot? ait: tamen, & quæram, & quot habebo,
Mittam. Post paullo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum: partem vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non & multa supersunt,
Et dominum fallunt, & prosunt furibus. Ergo
Si

V. 31. Putas ne virtutem & religionem res esse inanes? postquam statuit, eos esse felices, qui nihil magnopere concupiscunt, & admirantur; qui corpore valent; & tranquillo animo sunt; concludit, stulti esse, tantopere divitias, honores, voluptates conquirere. Hanc extremam partem pertractat per concessionem ironicam.

V. 34. Una navis tibi 6200 Denar. suppeditet.

V. 35. Et quarta navis quadret cumulum pecuniæ numeratæ.

V. 39. * Hoc proverbium manavit ab Ariobarzane, qui ære alieno oppressus non erat solvendo. Plurimi enim potentissimi Romani viri pecuniam ei fœnori dederant, inter cæteros Pompejus & Brutus. ex mancipiorum, quibus ille abundabat, venditione aliqua ex parte nomina solvebat.

V. 40. (V. ind. *Lucullus*.)

V. 45. Non est dives domus.

V. 46. Dominus ignorat eorum numerum, & interim iis utitur fur.

Si res sola potest facere, & servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species, & gratia præstat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere. Hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cui libet is fasces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur. Frater, pater, adde:
Ut cuique est ætas, in quemque facetus adopta.
Si bene qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus,
Quo ducit gula, piscemur, venemur, ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos,
Differtum transire forum, campumque jubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret
Emtum mulus aprum; crudi, tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non obliti; Cærite cera
Digni: remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.

V. 47. *Res sola*, i. pecunia.
V. 49. Opulentia, & hominum existimatio.
V. 51. Trans currus publicos onustos trabibus, lapidibus, &c. qui vias occupabant. quare qui suffragia populi ambiebat, hæc impedimenta in rem suam vertere debebat, ut benevolos sibi redderet eos, quibus iter impeditum erat.
V. 54. Voca eum tuum fratrem.
V. 55. *Adopta*: improprie pro adscisce tibi vocando eum Patrem &c.
V. 56. Si qui parant opipara convivia, felices sunt; eja mane novo eamus &c.
V. 57. *Piscemur*, *venemur*, scilicet in foro, ubi Venales sunt pisces, aves, apri &c.
V. 61. Poeta, ut impensius ironiam sentiamus, & rerum insolentiam, quas videtur proponere, singulatim omnia ridenda nobis exhibet. duo vitia erant in Gargilio, gula nempe & vanitas. *crudi*, *tumidique*, i. referti cibis ventre, & crudi stomacho ad balnea eamus.
V. 62. Ne pudeat inter Cærites recenseri, esse remiges indignos Ulyssis.

Si Mimnermus uti censet, sine amore, jocisque
Nil est jucundum; vivas in amore, jocisque.
Vive: vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

EPISTOLA VII.

AD MÆCENATEM.

Excusat se Mæcenati, quod ab urbe absit diutius, tum ejus in se beneficia ita commendat, ut libertatem beneficiis omnibus potiorem esse declaret.

QUinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui,
Si me vivere vis sanum, recteque valentem,
Quam

Libertas bonorum omnium maximum est. hæc opinio omnium certe mortalium mentibus inhæret. Eam tamen fere omnes parvi vendunt. Fortuna quotidie catenas exhibet, quibus ipsi sponte vinciri gaudent. inter tot servos ii maxime deplorandi sunt, qui potentibus viris serviunt. Omnis eorum vita perpetua servitus est. Horatius non is erat, qui libertatem fortunæ bonis postponeret, utpote qui grati animi officium a servitio secernere probe sciret, & Mæcenas is erat, qui illa duo mirum quantum inter se differre optime sentiret. Hæc & alia similia docet in hac Epistola. libere purgat tarditatem adeundi Patroni sui. Hinc licet perspicere, quam gratiosus esset & familiaris apud Mæcenatem, & quam longe abesset, ut animum abjiceret. Videtur hæc Epistola conscripta esse anno 731, quum Horatius Velia, aut Salerno rediit, ubi diu moratus frigidis aquis usus est, ut videbimus in Epistola 15. Tunc ille agebat 42 ætatis annum.

V. 3. Aer Romæ pessimus est æstuante Canicula, & Autumni tempore. Mæcenas valde optasset, ut Horatius Romæ esset,, sed id maxime omnium, ut quocumque modo valetudinem suam curaret. Fortasse nemo Principum virorum impensius studuit, ut amicitiam omni molestia liberaret.

Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam: dum ficus prima, calorque
Designatorem decorat lictoribus atris:
Dum pueris omnis pater, & matercula pallet:
Officiosaque sedulitas, & opella forensis
Adducit febres, & testamenta resignat.
Quod si bruma nives Albanis illinet agris
Ad mare descendet vates tuus, & sibi parcet,
Contractusque leget. Te, dulcis amice, reviset
Cum Zephiris, si concedes, & hirundine prima.
Non, quo more pyris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.
Jam satis est. At tu quantum vis tolle. Benigne.
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinquis.

Pro-

V. 5. Signum pro re signata.

V. 6. Designatores erant, qui constituendæ funebri pompæ præerant, unicuique incedendi modum, apparatuum rationem, aliosque ritus præscribebant. His multi vespillones parebant.

V. 7. Timent parentes, ne pueri pereant.

V. 9. Testamenta aperit.

V. 10. *Illinet*. i. sparget. Videtur Horatius non fuisse in agro Sabino, sed in Latio prope Albam.

V. 12. *Contractus*, i. pallio involutus, togaque flexa, adalligataque membris circumamictus: vel in lecto cubans contractis membris ad calorem fovendum: vel sidens contracto in loco, in angusto conclavi.

V. 14. Occurrit iis, quæ sibi exprobrari poterant. Non immemor, inquit, sum beneficiorum tuorum, Mæcenas, sed mea ætas, me lateri tuo assidue hærere non patitur, ut alias; & licet me omnibus fortunæ bonis privares, non minus tamen te diligerem. Verum sive pauper, sive dives, semper meam quietem, & libertatem omnibus aliis vitæ commodis præferam.

V. 16. Horatius vel quispiam alius colloquitur cum Calabro Hospite. Hor. *jam satis est*. Cal. *at tu quantum vis tolle*. Hor. *Benigne*. Cal. *Non invisa feres* &c. Hor. *Tam teneor dono* &c. Cal. *ut libet hæc* &c.

Prodigus ac ſtultus donet quæ ſpernit, & odit:
Hæc ſeges ingratos tulit, & feret omnibus annis.
Vir bonus, & ſapiens dignis ait eſſe paratus:
Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.
Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.
Quod ſi me noles uſquam diſcedere, reddes
Forte latus, nigros anguſta fronte capillos:
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum, &
Inter vina fugam Cynaræ mærere protervæ.
Forte per exilem tenuis Vulpecula rimam
Repſerat in cumeram frumenti, paſtaque rurſum,
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui muſtela procul, ſi vis, ait, effugere iſthinc,
Ma-

V. 20. Divitum munera ſæpe vileſcunt ex ratione, qua dantur: inconſulta agendi ratio, caſus, præjudicata opinio, favor beneficiis impertiendis plerumque præeſt.

V. 22. Notandus dicendi modus.

V. 23. Idem ſcit ſecernere æra lupinis. hoc legumine utebantur Comœdi, & luſores pro nummis ſigno publico cuſis, ſed quoddam ſignum lupinis imprimebatur ad evitandam fraudem.

V. 24. Promerentis laude. Me dignum præſtabo beneficiis tuis.

V. 25. *Diſcedere* a te.

V. 26. Frons eo latior eſt, quo minus crinibus impeditur. Horatius jam caneſcebat, & calveſcebat anno 739. ergo iſta Epiſtola eſt poſterior hoc anno.

V. 28. Adoleſcens hanc Cynaram amabat, quæ juvenis obiit. *fugam*, i. diſceſſum Cynaræ verum vel fictum.

V. 29. Bentlejus & Sanado legunt *nitedula* quæ eſt muris Sylveſtris genus. Roſellus ait, hunc murem ignotum fortaſſe fuiſſe Horatio, & æſtate ſolitum in agris cibum ſibi abunde parare, hyeme vero in cavis ſuis ſervare eſcam, ideo legit *Vulpecula:* niſi forte Horatius referat fabulam cujuſdam coævi Auctoris de Vulpecula illa.

V. 31. Vulpecula erat macro corpore, & vacuo ventre, quando ingreſſa eſt cumeram, *tenuis*, & *macra*. ergo τὸ *pleno corpore* non ſignificat ſolummodo *plenum ventrem*, ut putat Dacierius, ſed etiam pingue corpus. aliquot igitur dies morata eſt in cumera.

Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigneo:
Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudasti: rexque, paterque
Audisti coram, neque verbo parcius absens:
Inspice si possum donata reponere lætus.
Haud male Telemachus proles patientis Ulyssei:
Non est aptus equis Ithacæ locus: ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multæ prodigus herbæ:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent: mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus ac fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam

Dum

V. 33. Tunc exibis cum jam macra fies, quandoquidem macra huc intrasti.

V. 34. Si hac fabula ego arguar, omnia restituo fortunæ bona.

V. 35. Non ego is sum, qui cibis expletus domesticæ vitæ jucunditatem laudem, non ego præponerem Arabum opes quieti & libertati.

V. 37. Quid ipse senserit de libertate, ipsius Mæcenatis testimonio comprobat. Viri aulici fere semper avidi sunt, importuni, molesti potentibus viris, quibus serviunt. Sæpe etiam postquam vili & infami simulationis ratione diu multumque potenti Amico blanditi sunt, absentes eum maledictis lacessunt. Hæc certe duo vitia Horatio exprobrari minime poterant, ideoque libere se verecundum prædicat, & sincerum.

V. 40. Exemplum Telemachi indicat raram Horatii abstinentiam.

V. 43. Menelaus equos Telemacho donare volebat.

V. 44. Duas adfert causas, propter quas abstinens esse velit, nempe generis humilitatem, & infirmam valetudinem.

V. 46. Elegans & lepida narratio. Tam apte accommodatur hæc comparatio propriis Poetæ temporibus, ut nihil supra possit.

V. 47. Duabus vel tribus horis post meridiem.

Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur, conspexit (ut ajunt)
Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri (puer hic non lævus jussa Philippi
Accipiebat) abi, quære, & refer, unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo sit patre, quove patrono.
It, redit, enarrat, Vultejum nomine Menam,
Præconem, tenui censu, sine crimine notum,
Et properare loco, & cessare, & quærere, & uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, & lare certo,
Et ludis, & post decisa negotia, campo.
Scitari libet ex ipso, quodcumque refers. dic
Ad cœnam veniat. Non sane credere Mena:
Mirari secum tacitus. quid multa? benigne,
Respondet. Negat ille mihi? negat improbus, ac te
Negligit, aut horret. Vultejum mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello

Oc-

V. 48. Cum hæc Romæ regio *Carinæ* vocata latissime pateret, domus Philippi a foro procul abesse poterat; præterquamquod viro seni longum videri poterat iter.

V. 50. Qui barbam & capillos sibi radi jusserat.

V. 51. *Leniter*, i. tranquillissime.

V. 52. *Non lævus*, i. dexter.

V. 55. Ex his duabus vocibus colligere poterat Philippus, illum, de quo quærebat, esse hominem alienigenam, libertum, & ejus dominum vocari Vultejum.

V. 57. *Properare*, ut quærat tempestive, in loco, tempore.

V. 58. Gaudentem societate sodalium pari vitæ sorte, & conditione viventium. nullum hic verbum de literis, uxore Vulteji.

V. 59. *Decisa*, i. absoluta.

V. 64. *Horret*, i. timet.

V. 65. Mena erat præco, & præterea in vendendis parvis mercibus occupabatur lucri causa. Emebat & vendebat veterem, ac tritam supellectilem. infima plebs tunicam sine toga ferebat.

Occupat, ac salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem, & mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset: denique, quod non
Providisset eum. Sic ignovisse putato
Me tibi, si cœnas hodie mecum. Ut libet. ergo
Post nonam venies. Nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad cœnam est; dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. ergo ubi sæpe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens, & jam certus conviva, jubetur
Rura sub urbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis, arvum, cœlumque Sabinum
Non cessat laudare, videt, ridetque Philippus.
Et sibi dum requiem, dum risus undique quærit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra,
Quam satis est, morer, ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos, & vineta crepat mera: præparat ulmos:
Immoritur studiis, & amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem

V. 69. Quod prior Philippum non viderit.

V. 76. Villa hæc Philippi erat fortasse prope Antemnam aut Collatiam in confinio Sabiniæ duabus circiter leucis distans ab urbe.

V. 80. 7000 Sestertiorum minorum.

V. 83. *Ex nitido*, i. cive.

V. 84. *Crepat*. in ore frequenter usurpat.

V. 85. Egregius versus, & imagine ad vivum expressa excellens.

V. 86. Ex hoc colligi potest aliquot annos in agello colendo insudasse Menam, ut oves, capellas, boves sibi emeret, & aleret; nam licet agri ea ætate venirent parvo, tamen pecunia illa dono accepta, & sibi credita derepente in divitem colonum evadere nequibat.

Spem mentita seges, bos est enectus arando,
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad ædes.
Quem simul adspexit scabrum, intonsumque Philippus:
Durus, ait Vultei, nimis, attentusque videris
Esse mihi: Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per genium, dextramque, Deosque penates
Obsecro, & obtestor, vitæ me redde priori.
Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
Præstent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

V. *96.* Hos tres postremos versus Lambinus, & Dacierius, aliique tribuunt Philippo. Sanado vero vehementer miratur, Dacierium virum tam acri judicio insignem Lambini errorem secutum fuisse, & inquit: Philippus probe sciebat, quid consequens foret. Ab initio rei totius persuasum illi erat, utiliorem Menæ futurum fuisse priorem vitæ statum. Conatur tamen vir magnus eum ad aliud vivendi genus revocare, ut novo rei exemplo veritas confirmaretur. Totus igitur in eo est, ut sensim hominem ad propositam vitæ rationem alliciat, dumque videt rem ad voluntatem cedere, sibi placet: *videt, ridetque Philippus.* Nulla igitur causa suberat, cur Philippus factum animo & sermone ponderaret, quod jamdiu compertum habuerat, ac præsenserat. Horatius igitur ipsemet his tribus versibus loquitur, & ex relata historia documentum elicit.

EPISTOLA VIII.

AD CELSUM ALBINOVANUM.

Se neque corpore, neque animo valere, Celſo ſecundam fortunam modeſte ferendam eſſe.

CElſo gaudere, & bene rem gerere Albinovano,
Muſa rogata refer, Comiti, ſcribæque Neronis.
Si quæret, quid agam, dic, multa, ac pulchra minantem,
Vivere nec recte, nec ſuaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æſtus:
Nec quia longinquis armentum ægrotet in agris;
Sed quia mente minus validus, quam corpore toto,
Nil

Si hanc Epiſtolam veluti tabulam, in qua ſe ipſum depinxerit Poeta, conſideremus, ille ſane moroſus homo, levis, miſanthropus judicandus eſt. Sed ea eſt infirmæ valetudinis conditio, ut ægrorum mores pervertat. omnia ægris moleſta ſunt, & invicem illi omnibus. Si lævo hoc tempore de Horatio judicare velis, erras. Quidquid igitur Poeta de infirmo animo ſuo dicit, eidem non probroſum eſſe debet, ſed laudabile; ingenui enim animi eſt vitia non celare. Scite paucis monet Albinovanum, ut rem bene gerat apud Neronem. Qui putant, Poetam ſibi vitia exprobrare, ut amicum iiſdem obſtrictum objurget, ſuamque corporis infirmitatem conqueri, ut eum ab ejuſmodi malis ſubeundis avertat, a vero aberrant. Tiberius uſus ne fuiſſet viro a ſecretis, & comite tam levi, & imbecillo? fortaſſe Poeta turpi aliquo puellæ, vel pueri amore torquebatur, quem celare ſtudet. Huic Epiſtolæ fortaſſe adſcribendus eſt annus 734 ante ver, id eſt antequam Tiberius, qui jam tunc ex Aſia Samum venerat apud Auguſtum in Armeniam exercitum duceret.

V. 1. Gaudium & bonam rerum geſtionem. græce infinitum modum adhibet pro accuſandi caſu, qui pendet a τῷ *refer*. Celſus prior Horatio ſcripſerat fortaſſe de iis, quæ Poeta rogaverat anno præcedenti in ſecunda Epiſtola ad Florum.

Nil audire velim, nil diſcere, quod levet ægrum;
Fidis offendar medicis, iraſcar amicis,
Cur me funeſto properent arcere veterno.
Quæ nocuere, ſequar, fugiam quæ profore credam:
Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.
Poſt hæc ut valeat, quo pacto rem gerat, & ſe,
Ut placeat juveni, percontare, atque cohorti.
Si dicet recte: primum gaudere: ſubinde
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento;
Ut tu fortunam, ſic nos te, Celſe, feremus.

V. 10. *Me*, i. apud me. veternus eſt ſopor inſitus, languor inveteratus.

V. 14. Prope ἀδύνατον eſt, aliquem diu placere viris Principibus. qui in Principis aula habitat, & aliquo munere fungitur, ita ejus gratia, & familiaritate uti debet, ut apud ceteros aulicos viros minime ſuſpectus habeatur. Quis autem Principis viri offenſam, & aulicorum hominum invidiam adæque evitet?

V. 16. Venuſte & callide dictum ſine Albinovani offenſione.

V. 17. Ferre fortunam proſperam aut adverſam non ita facile eſt, non minus enim favore, quam odio nos illa opprimit. Videtur Albinovanus Tiberii gratia nimium, quam par eſſet, confidiſſe.

EPISTOLA IX.

AD CLAUDIUM NERONEM.

Septimium ei commendat.

SEptimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quan-

(V. Ind. *Tiberius*) Poeta in magna Principum virorum exiſtimatione vivebat. Cujus rei argumento eſt, quod brevi hac Epiſtola ſeptimium Amicum ſuum Tiberio & Auguſto arctiſſimis amicitiæ vinculis devinxit. Verum difficillimum eſt optimam paucis verbis Epiſtolam commendatitiam ſcribere, ubi ardens ſtudium & timida modeſtia tam æqua temperatione leniantur.

V. 1. Scite & ſolerter exorditur. Maxima apparet Septimii

Quanti me facias, nam, quum rogat, & prece cogit
Scilicet, ut tibi se laudare, & tradere coner,
Dignum mente, domoque legentis honesta Neronis,
Munere cum fungi propioris censet Amici.
Quid possim videt, ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem:
Sed timui mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriæ, mihi commodus uni,
Sic ego majoris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad urbanæ descendi præmia. Quod si

mii fiducia, & Horatii modestia. Septimius in Horatii fide omnes suas spes collocabat, sed Horatius amici credulitatem risu excipit docens, eum unum esse, qui id sentiat; ita tamen dicit, ut Septimium purget, dum accusat. Intelligebat se non frustra pro Septimio causam oraturum.

V. 2. Ita rogat, ut cogat rogando.

V. 3. Hæc vox *coner*, & Horatii ausum, libertatemque, & Septimii excusat importunitatem.

V. 4. Virtutes animi, & ingenii requirebat Tiberius in iis, quos sibi comites optabat. In eorum numero erant Celsus Albinovanus, Julius Florus, Titius Postumus, Munacius, Septimius.

V. 5. Familiarioris.

V. 9. Viri aulici timere solent, ne eo minus ipsi gratiosi fiant apud Principem virum, quo magis alios gratiosos faciunt. Longe ab hoc vitio aberat Poeta. dumtaxat modestiæ causa ille suis viribus minime fidebat. Certis finibus suam fidem circumscribebat, ne sæpius importune agendo eam exhauriret, atque diutius aliis bene facere posset.

V. 10. Qui amicum destituit, dum ei gratificari potest, infamiæ notam subit. causa, quam Poeta adfert ad purgandam Epistolæ libertatem, animum Tiberii vincere debebat.

V. 11. Ad ea devenire ausus sum, quæ sunt aulicæ urbanitatis præmia. *descendi*, i. consilium inivi, cepi, assensus sum. *frons urbana* idem est atque audacia hominis urbani. Qui diu in aula Principis familiariter versatus est, jure quodam donatur impetrandi beneficia a Principe. illud autem jus est præmium meritorum. *Quod si* &c. fatetur se diu multumque elaborasse, ut ultra, quam ingenita sibi modestia pateretur, procederet. Sed denuo se excusat dicens, Amici inportunitate tanquam imperio ita adactum fuisse, ut se dedere coactus fuerit.

Depoſitum laudas ob amici juſſa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, & fortem crede, bonumque.

EPISTOLA X.

AD FUSCUM ARISTIUM.

Ruſticam vitam præ urbana laudat, ut naturæ magis conſentaneam, & magis amicam libertati.

URbis amatorem Fuſcum ſalvere jubemus
Ruris amatores: hac in re ſcilicet una
Multum diſſimiles, ac cætera pene gemelli,
Fraternis animis: quidquid negat alter, & alter;
Adnuimus pariter vetuli, notique columbi;
Tu nidum ſervas: ego laudo ruris amœni
Rivos, & muſco circumlita ſaxa, nemuſque.
Quid quæris? vivo, & regno, ſimul iſta reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo.
Ut-

Perpauci ſunt, qui rure non delectentur. Horatius hujuſmodi voluptate maxime capiebatur, & ſæpe hanc prædicabat. Scite reſpondet objectis cujuſdam Amici, qui urbem amabat. Multa adfert rationum momenta, quibus ſententiam ſuam comprobet, eaque ex Epicuri Philoſophia deduxit, quæ plurimum valent ad bene de rebus judicandum, & ad conformandos mores. Hæc Epiſtola eſt numeris omnibus abſoluta. Ex quinto & undecimo verſu patet poſtrema ſua ætate eam inſcripſiſſe Horatium Ariſtio Fuſco, de quo loquitur in Ode *Integer vitæ*, & in Sat. *Egreſſum magna*.

V. 5. Ariſtius & Horatius uſque ab Adoleſcentia amici fuere.

V. 6. Lepide dictum: Ariſtius iis avibus ſimilis erat, quæ nidum tuentur, & ne latum quidem unguem diſcedunt. Hic nidus Roma eſt.

Utque Sacerdotis fugitivus liba recuso:
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ si convenienter oportet,
Ponendæque Domo quærenda est area primum;
Novisti ne locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hyemes? ubi gratior aura
Leniat, & rabiem canis, & momenta Leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet, aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur sylva columnas,
Laudaturque domus, longos quæ perspicit agros.
Naturam expelles furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix:
Non, qui Sidonio contendere callidus ostro

V. 10. Tritum est sermone proverbium, Sacerdotum servos felicissimos esse. Servi, de quibus loquitur Horatius suaviter vivendi rationem fastidiebant. pro pane illi liba comedebant, quæ Diis offerebantur a piis viris. Illi vero adeo hoc alimento expleti erant, ut aliquando Domini sui domum relinquerent, ut alio ad edendum panem secundum se verterent. Hac comparatione hoc sibi vult Horatius, se scilicet exsaturatum esse urbis voluptatibus assuescendo, & nunc rus confugisse, ut simplicioribus, & minus exquisitis uteretur.

V. 11. Ait, se juvenem urbis illecebris irretitum fuisse, sed nunc jam senescentem, rure tantum oblectari.

V. 12. Rure facilius quæritur, quod natura postulat, & modus relinquendi ea, quæ minime poscit.

V. 16. *Momenta*, i. motus. hæc vox plurimum habet ponderis.

V. 19. Marmora Africæ significat.

V. 20. Indicat aquarum ductus magnifico opere ab Agrippa constructos.

V. 24. Frustra conaris opprimere Naturam: illa te invito resurgit, & occulto superat fastidia tua.

V. 26. Comparat naturæ ingenium cum vera purpura, & cupiditatis cum falsa. *contendere*, i. conferre.

Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusque medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundæ,
Mutatæ quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, ac regum vita præcurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit improbus, atque
Serviet æternum, parvo quia nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet, si minor. uret.
Lætus sorte tua vives sapienter, Aristi;
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat, aut servit collecta pecunia cuique,

Tor-

V. 31. Ægre relinques, quod maxime appetis.

V. 32. Altera ratio est, quia ruri libere vivitur.

V. 34. Hic est Stesichori apologus, quo probat homines servos sponte factos esse, dum tuti esse voluerunt.

V. 37. Postquam Cervus, qui vim intulerat equo, coactus fuit cedere locum hosti, nempe equo, *discessit ab hoste*, Equus tunc *non equitem dorso* &c. Ita Rosellus invitis omnibus interpretibus.

V. 40. *Improbus*, i. improbe, & turpiter. magnifice, & vere dictum.

V. 42. Aristius licet suaviter vivere posset, & honorifice, suæ utilitati, & ambitioni turpiter inserviebat. ille alia vitia fortasse Horatio exprobraverat, ut vidimus in carmine *Integer vitæ*. Amici se invicem carpere possunt, ac debent modo caute, leniter, & blande id faciant.

V. 45. Lenit ac mulcet monitorum asperitatem; orat enim Aristium, ut par pari referat, idest ut vicissim moneat, si Horatium iisdem cupiditatibus teneri videat. Sed Aristius aliis vitiis obligatum videbat Poetam.

Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.
Hæc ubi dictabam fanum post putre Vacunæ,
Excepto, quod non simul esses, cætera lætus.

V. 48. Metaphora ducta a bestiis, quæ fune trahuntur; pecunia, & bruta animantia servire hominibus debent.

49. Dacierius credidit hoc fanum fuisse Templum illud, quod Dea Vacuna habebat in monte Fiscello in confinio Piceni, & addit ex domo Horatii posticam templi partem prospici potuisse. Sed 60 millia pass. distabat Ustica ab hoc monte, quomodo igitur Poeta dicere poterat *prope*?

E P I S T O L A XI.

AD BULLATIUM.

Ex Asia quo bellorum civilium tædio profectus fuerat, Romam revocare conatus, monet animi ægritudinem, non peregrinationibus, sed recta animi compositione levari.

Dialogi species Horatium inter & Bullatium.

Hor. QUid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos:
Quid concinna Samos? Quid Cræsi regia Sardis?
Smyrna quid, & Colophon? majora, minoraque fama?
Cunctane præ campo, & Tiberino flumine sordent?

Quinam fuerit hic Bullatius, cui hæc Epistola inscripta est, non satis constat. Facile suspicari possumus, eum in Asiam se contulisse tempore belli civilis Octavium inter & Antonium exardescentis, ut tranquillam vitam ageret, pericula partium fugiens. Poeta confecto jam illo bello Amicum suum hortatur, ut Romam redeat, multaque præclara edocet, quibus ii instruantur, qui levia quæque obstantia horrent, longeque abeunt, cum vident res non optime sibi cedere. Referri hæc Epistola potest ad annum 725.

An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas odio maris, atque viarum?

Bul. Scis Lebedus quid sit? Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem:
Oblitusque meorum, obliviscendus & illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.

Hor. Sed neque qui Capua Romam petit imbre, lutoque
Adspersus, volet in caupona vivere: nec qui
Frigus collegit, furnos & balnea laudat,
Ut fortunatam plene præstantia vitam.
Nec si te validus jactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas,
Incolumi Rhodos, & Mithylene pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense Caminus.
Dum

V. 7. Hæc, quæ loquens inducitur Bullatius, fortasse excerpta sunt ex litteris, quibus se excusaverit, quod in Italiam non regrederetur.

V. 9. *Meorum*, i. civium. hic, & sequens versus magnifici sunt, quoad numeros & sententiæ vim. imago illa repræsentat Romæ Italiæque infelicem statum.

V. 11. Significat Bullatio, hunc asilum optimum esse procellæ tempore, i. bellorum civilium, sed sereno tempore absurdum esse illic morari. Tres instituit pulcherrimas comparationes, quæ plurimum ponderis afferunt iis, quæ in medium attulit. Scite ridet Bullatii excusationes.

V. 15. Dictum est in secunda persona, sed generatim sumendum. Notandum est, hanc comparationem a decimo versu enasci, & mentionem fieri maris Ægæi juxta verba, & statum Bullatii.

V. 17. Hæc vox *incolumi* continet sensum moralem. Horatius exprobrat jure Bullatio nimis obfirmatum animum in semel suscepto consilio, declaratque Asiæ amœnitatem non tanti habendam, ut patriæ amor memoria excidat.

V. 19. Caminus hic est exiguum cubiculum meridiano soli expositum, ita ut radios colligeret. a Plinio vocatur *Helio-*

Dum licet, ac servat vultum fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, & Chios, & Rhodos absens.
Tn, quamcumnue Deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu; Neu dulcia differ in annum.
Ut, quocumque loco fueris, vixisse libenter,
Te dicas. Nam si ratio, & prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter, aufert;
Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt,
Strenua nos exercet inertia: navibus, atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.

Heliocaminus. Nostri camini valde dissimiles sunt, nec in usu erant apud veteres. fumus porta exibat, aut foraminibus summi cubiculi. focus vel caminus vocabantur illa cubiculi foramina.

V. 25. Subobscure dicit Amico, levitatem, curam, anxietatem causas fuisse, cur ille Romam reliquerit; deinde eum non fore feliciorem in Asia, quam in Italia; & nostram felicitatem minime pendere a locis; & quemque Sapientem ubique feliciter vivere posse. τὸ *si* refertur pariter ad duos sequentes versus.

V. 26. Hoc dicendi modo satis egregio, & poetico exaggerat Horatius emolumenta, quibus Bullatius Lebedi se fruiturum sperabat, ut pondus addat rationi a se in contrarium allatæ.

V. 28. Jocus in verbis argutus, idemque succi plenus. Nosmetipsos vehementer exagitamus, ut felicitatem adipiscamur, sed frustra; nam cupiditas ea est, quæ inconsultos hos animi motus excitat.

V. 30. Ulubrarum urbs usurpatur pro quocumque loco Sylvestri, & infrequenti.

EPISTOLA XII.

AD ICCIUM.

Hominis parsimoniam dum laudat, festive deridet; tradit ei Grosphum, ac de Romanis rebus pauca subjicit.

FRuctibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est, ut copia major
Ab Jove donari possit tibi. tolle querelas.
Pauper enim non est, rerum cui suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si forte in medio positorum abstemius, herbis
Vivis, & urtica, sic vives protinus, ut te

Con-

Jocular iter agit cum Iccio, ut in Ode *Icci beatis*. In Ode eum tanquam Philosophum militem, in Epistola vero tanquam Philosophum avarum venuste ludum facit. Iccius utrinque est æque ridiculus. Ad finem Epistolæ indicatur tempus, quo scripta est, nempe autumnus anni 734.

V. 1. Hinc colligitur, Agrippam in Sjcilia quamplurimos agros possedisse. Ab Augusto ille prædia acceperat tanquam meritorum suorum præmia, Siciliam enim imperio subjecerat. Credibile est Iccium inter & Agrip am convenisse de jure, & reditibus ad hanc provinciam pertinentibus. Pater Icci illam administraverat 24 annis ante. *quos colligis*: igitur in Sicilia tunc messis colligebatur. ex ultimo vero versu in tota quoque Italia idem tunc confieri apparet.

V. 3. Aut tu frueris, ait, magnis reditibus, quos tibi suppeditant terræ Agrippæ, vel minus. Si frueris, non eges pecunia, sin minus, seposita pecunia utere.

V. 5. Si pinguis es, si pulchris vestibus indueris, si pedes calceis claudis: vel: si bene se habet stomachus, si valet pectus; si podagra non laboras.

V. 8. Urtica est vilis piscis, quo vescebantur pauperes. *ut* pro quamvis. *protinus*, i. uno eodemque tenore.

Confeſtim liquidus fortunæ rivus inauret:
Vel quia naturam mutare pecunia neſcit,
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos,
Cultaque, dum peregre eſt, animus ſine corpore velox?
Quum tu inter ſcabiem tantam, & contagia lucri
Nil parvi ſapias, & adhuc ſublimia cures:
Quæ mare compeſcant cauſæ, quid temperet annum:
Stellæ ſponte ſua, juſſæne vagentur, & errent:
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem:
Quid velit, & poſſit rerum concordia diſcors:
Empedocleum, an Stertinium deliret acumen?
Verum ſeu piſces, ſeu porrum, & cæpe trucidas,
Utere Pompejo Groſpho: &, ſi quid petet, ultro
Defer: nil Groſphus, niſi verum orabit, & æquum.

Vilis

V. 10. Hæc prima cauſa licet ambigue & maligne allata vera eſt, altera vero eſt laus ironica. Sciebat Poeta, Iccium ad Stoicorum dogmata valde adhæreſcere, & præſertim opera Panætii perlegiſſe. Sapiens, ait, dives eſt juxta Stoicos, tu æſtimas virtutem, i. frugalitatem, ſapientiam, ergo tu veras habes divitias.

V. 12. Ironiam continet hæc comparatio Iccii cum Democrito. Nam durus & aſper victus Iccii ex nimia parcitate, non ex vera abſtinentia manabat.

V. 15. Iccius 17 abhinc annis Philoſophiæ vale dixerat, ut militiæ nomen daret. Sed cum Arabica expeditio infra ſpem ei ceſſerit, novus miles militiam peroſus ad Philoſophandi artem rediit.

V. 19. Quomodo fieri poſſit, ut ea elementa, quibus conſtat univerſum, ſemper ſibi invicem adverſentur, & ſemper inter ſe copulentur?

V. 21. *Trucidas*. ſalſe dictum, ut deſignet Pythagoræ dogma.

V. 22. *Ultro* &c. ſi quid te rogabit, defer illi amplius, & cumulatius, quam rogaverit.

Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt.
Ne tamen ignores, quo res Romana loco ſit;
Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit: jus, imperiumque Phraates
Cæſaris accepit, genibus minor. Aurea fruges
Italiæ pleno defundit copia cornu.

V. 24. Facilis & parabilis eſt annona. metaphora egregia. Clarius exprimi non poteſt ille ingenui animi ſenſus, qui ſuis opibus & opera utitur ad comparandam ſibi honeſtiſſimorum hominum amicitiam.

V. 25. Jocatur. Tu dumtaxat in congerenda pecunia occupatus, & contemplandis Naturæ arcanis, nihil aliud cogitas; verum non tibi licet ignorare, quæ utiliter Reip. obtigerint.

V. 26. Diem Epiſtolæ denotat ex tribus facinoribus præclariſſimis. Agrippa Cantabros devicit; Tiberius Armeniam imperio ſubjecit; Auguſtus Phraatem ſibi ſponte ſubmiſſum vidit. Hæc tria licet a Poeta conjuncta non tamen eodem anno evenere. Duo poſtrema acciderunt anno 734. Harum rerum nuncii nondum in Siciliam pervenere. Quoad primum vero, Dio de clade Cantabrorum loquitur anno 735. Sed dicendum eſt eo loci hiſtoricum conjunctim accepiſſe de more, quidquid Agrippa in Galliis, & in Hiſpania geſſerit poſt diſceſſum Auguſti in Orientem anno 733 uſque ad reditum in urbem anno 735. præterea Vellejus ait Agrippam anno 735 cum legionibus fuiſſe in Pannonia.

V. 28. Significat Phraatem vel abjectiſſimi animi argumenta dediſſe, ut Auguſtum ſibi conciliaret, cujus potentiam reformidabat. Præterea Phraates per Auguſtum ſe poſſe Parthos rebellantes in officio continere ſperabat. *jus imperiumque*, i. jus imperii. Auguſtus quodammodo omni regio jure Phraatem donavit, cum eum Parthorum regem declaraſſet, & una cum filiis ejus in ſuam fidem & clientelam recepiſſet. Id factum eſt per Titium Syriæ Prætorem. „ Phraates cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat: partemque prolis, firmandæ amicitiæ miſerat, haud „ perinde noſtri metu, quam fidei popularium diffiſus „ Tac. initio lib. 2. Ann. Et Juſt. Lip. in comment. ad Tac.

E P I S T O L A XIII.

A D V I N I U M.

Monet ut ſuos Auguſto libros loco & decenter offerat.

UT proficiſcentem docui te ſæpe, diuque,
Auguſto reddes ſignata volumina, Vini,
Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet,
Ne ſtudio noſtri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente miniſter.
Si te forte meæ gravis uret ſarcina chartæ,
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis,
Clitellas ferus impingas, Aſinæque paternum
Cognomen vertas in riſum, & fabula fias.

Vi-

Hoc exiguo epiſtolio quædam monita inculcat Vinio, cui onus impoſuerat ferendi ſuos Libellos ad Auguſtum. Ex paucis his verſibus, qui negligenter videntur facti, Poeta, ut ex ungue Leo, agnoſcitur. Vivide & lepide jocatur; parva & minuta eo ſale condit, quo cunctas Veneres ſapiunt. Vinii ingenium novo quodam, & molli penicillo adumbrat, apte & cate Auguſtum laudat. Eodem tempore ſcriptum eſt, quo Epiſt. *Cum tot ſuſtineas*.

V. 1. Poeta utebatur Vinio familiari ſuo, & nuncio.

V. 2. Mittebat Auguſto Epiſtolam, & multa alia, præſertim poſtrema Carmina, & Epiſtolas. Singula hæc opera parvo baculo circumvolvebantur. Vinius erat fortaſſe vicinus villæ Horatii in agro Sabino. In veteri codice manu exarato leguntur hæc. „ Vinius Fronto, ad quem hæc ſcri„ bit, patrem habuit Aſinam cognomine. „

V. 3. Eadem ferme monet Parthenium Martialis lib. 5. Epig. 6. cui onus impoſuit tradendi opera ſua Domitiano.

V. 5. Ne in cauſa ſis, cur Princeps libellos, & Auctorem negligat. *opera vehemente*, i. nimia celeritate.

V. 6. Auguſtus queſtus erat, ſibi ab Horatio mitti pauca, & falſe, ut vidimus, conferebat voluminum exiguitatem cum puſilla Auctoris ſtatura. idcirco Poeta operum faſciculum auxit.

Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis opus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomus furtivæ Pyrrhia lanæ:
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis
Neu vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quæ possint oculos, aurésque morari
Cæsaris. Oratus multa prece nitere. Porro
Vade, vale, cave, ne titubes, mandataque frangas.

V. 10. Lamæ sunt lustra, lacunæ, cœnosa loca.

V. 14. Dacierius putat, hanc Pyrrhiam fuisse servam, quæ surripuit lanæ glomus in comœdia Titinnii, quæ vocabatur *Fullones*.

V. 15. Athenæus lib. 4 ait, tribules convivia sibi invicem parare consuevisse ex legibus. ii, qui in domo aliena convivabantur, ferebant pileum, & soleas, pileum, quidem ad arcendam pluviam, si fors tulerit, soleas vero, quas in convivatoris domo pedibus aptarent.

V. 18. Ne te sudasse in ferendo narres oratus a vulgo. vel oratus multa prece Cæsaris causam interpone; vel oratus a me: quod libentius probo.

EPISTOLA XIV.

AD VILLICUM SUUM.

Ejus levitatem coarguit, rusticam vitam, quam optaverat, fastidientis, & urbanæ desiderio æstuantis.

Villice Sylvarum, & mihi me reddentis agelli,

Quem

Argumentum hujus Epistolæ parvi quidem momenti est, sed a solertissimo Poeta magna sententiarum gravitate fulcitur, & jucundissima imaginum varietate exornatur. Hanc fortasse concinnavit ætate provectior, nam constantiam suam jactat, cujus certe expers fuit juvenis; ipse etiam de juventute sua tanquam de remoto tempore loquitur.

Quem tu faſtidis, habitatum quinque focis, &
Quinque bonos ſolitum Variam dimittere patres,
Certemus, ſpinas animo ne ego fortius, an tu
Evellas agro, & melior ſit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas, & cura moratur
Fratrem mærentis, rapto de fratre dolentis
Inſolabiliter, tamen iſthuc mens, animuſque
Fert, & amat ſpatiis obſtantia rumpere clauſtra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus uterque locum immeritum cauſatur inique.
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit unquam.
Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas;
Nunc urbem, & ludos, & balnea villicus optas.
Me conſtare mihi ſcis, ac diſcedere triſtem,
Quandocumque trahunt inviſa negotia Romam.
Non eadem miramur: eo diſconvenit inter
Meque & te. Nam quæ deſerta, & inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat, mecum qui ſentit: & odit,
Quæ tu pulchra vocas. Fornix tibi, & uncta popina
Incutiunt urbis deſiderium, video, & quod
Angulus iſte feret piper, ac thus ocyus uva:
Nec vicina ſubeſt vinum præbere taberna
Quæ poſſit tibi: nec meretrix tibicina, cujus
Ad

V. 1. Villicationis munus beneficii loco tradebatur veteri ſervo, vel etiam liberto. fortaſſe ille idem eſt, cui multis ante annis miſit Odem *Perſicos odi* &c.

V. 2. Hinc patet Uſticam aluiſſe olim quinque familias, eamdemque a Varia pependiſſe; & cujuſque regionis ſocietates conſtitiſſe ex patribus-familias, qui ſe Variam conferebant, ut de rebus publicis conſultarent.

V. 14. Tacita prece petebat, quia videbat beneficium meritis ſuis fore majus.

V. 23. Hac voce, aliiſque ſimilibus contemnebat ſervus agrum Sabinum. fortaſſe Horatius hæc clam reſcivit ab alio ſervo indice.

Ad ſtrepitum ſalias terræ gravis: & tamen urges
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, & ſtrictis frondibus exples.
Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc age, quid noſtrum concentum dividat, audi:
Quem tenues decuere togæ, nitidique capilli,
Quem ſcis immunem Cynaræ placuiſſe rapaci:
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Cœna brevis juvat, & prope rivum ſomnus in herba;
Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.
Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat, non odio obſcuro, morſuque venenat.
Rident vicini glebas, ac ſaxa moventem.
Cum ſervis urbana diaria rodere mavis.
Horum tu in numerum voto ruis: invidet uſum
Lignorum, & pecoris tibi calo argutus, & horti.
Po-

V. 26. *Gravis*, i. ponderoſo, pingui corpore. exprobrat hoc modo Villico inertiam, & deſidiam, & ingratum animum.

V. 28. Curam habes, ut ait, boum ab opere redeuntium, & frondes congeris, quibus eos expleas.

V. 29. Ais: me imbres quieſcere non ſinunt, me exercet enim Digentia.

V. 30. Multis aggeribus coercendus. *aprico*, i. aperto, obnoxioſo, foſſis carente. forte etiam Villicus ſcripta ad Horatium Epiſtola jactavit labores ſuos.

V. 32. Occurrit excuſationi, quam Villicus adferre poterat. Fatetur ſe juvenili ætate diſſolutius vixiſſe. Servus non diſſimilis fuit. Sed poſthac inter utrumque diſcrimen interceſſit. Horatius vitiis abſtinuit tandem, non vero ſervus.

V. 33. *Immunem*, i. ſine munere.

V. 36. Sed me puderet ætate provectum incontinenter vivere.

V. 38. *Limat*, i. deterit, imminuit. *obſcuro*, i. tacito.

V. 40. Servi ruſtici operoſiores erant, quam urbani, idcirco diariis, i. cibariis copioſioribus donabantur.

V. 42. Dacierius auctoritate Feſti, & Acronis fretus explicat

Poscit Ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scit uterque libens, censebo, exerceat artem.

plicat τὸ *calo* pro τῷ *calator*, *nomenclator*. Sed prima syllaba τῦ *calator* brevis est, cum contra τῦ *calo* longa sit. præterea Horatius non affectabat dignitates, nec indigebat officio calatoris.

V. 43. Poeta non hoc sibi vult, nempe bovem optare ephippia, quia est piger. fortasse indicat fabulam ea ætate notam, qua significet id, quo eques tegere solebat equi sui dorsum, non esse ephippia, ut hodie, sed modo pellem, modo stragulam, modo pannum. vel est proverbium quo significat, stultissimum quemque tædio affectum optare, ut operam det illi arti, quæ sibi minime convenit. quod explicatur sequenti versu.

EPISTOLA XV.

AD C. NUMONIUM VAALAM

Veliam, aut Salernum ad balneas profecturus de locorum salubritate, ac deliciis quærit.

Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni,
Quo-

Partim laudanda, partim vituperanda est hæc Epistola. In prima parte stilus obscurus est, & ordo rerum perturbatus. Ut sententiæ aliquo inter se nexu cohæreant, viginti & amplius versus loco movendi sunt. Præterea duæ prolixæ verborum interclusiones, quarum altera duodecim versibus, altera vero quinque constat, densiores tenebras Epistolæ offundunt, quas sagacis ingenii acies vix queat solvere. Sane dicendi ambages longe abhorrent a stilo Epistolari, idque probe sciebat Poeta. Altera vero pars valde differt a prima. Est enim simplex, & nova narratio, lectu jucundissima propter Mænii ingenium, cui se similem Poeta facit. Verum quis afferat Epistolæ hujus vitia ab Horatio potius, quam

Quorum hominum regio, & qualis via (nam mihi Bajas)
Musa supervacuas Antonius, & tamen illis
Me facit invisum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus. sane mirteta relinqui
Dictaque cessantem nervis elidere morbum,
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput, ac stomachum supponere fontibus audent,
Clusinos, Gabiosque petunt, & frigida rura.
Mutandus locus est, & diversoria nota,
Præteragendus equus. Quo tendis? non mihi Cumas

Est

quam ab alio fonte profecta? quis divinare queat, quam præpostero arbitrio veteres Grammatici, & exscriptores usi fuerint in ordinandis Poetæ scriptis? * quamquam fortasse dedita opera imitari voluit Lucilii stilum (quod alibi fecit) & Vaalæ, & idcirco eum tacite objurgare, dum obscuræ illi, & indigestæ primæ parti alteram salse & callide opponit facilem & venustam, qua indicet stili sui naturam. Inscitia rerum ac temporum fit, ut in judicando sæpe hallucinemur. Quam multiplici enim ac vario aspectu rem quamlibet accipere possumus? novimus insuper quam libera sit epistolæ scribendæ ratio. datum videtur ineunte anno 731. A Joanne Blanchio Ariminensi Medico præstanti anno elapso dono datum fuit Pontifici Clem. XIV aureum numisma rarissimum, ubi ex altera parte insculpta Victoria alata, & hæc verba: C. *Numonius Vaala* ex altera vero parte miles armatus arcem defendens contra hostium impetum. *

V. 4. In dubio erat, utrum aquis frigidis Veliæ, an Salerni perluendus esset.

V. 6. Ea sulphura, quæ dicebantur apta esse ad expellendum morbum. hic *morbus cessans* non est podagra, sed morbus ex pituitoso humore contractus, qui obstruens nervos stuporem membris injicit, & affectam partem sensu omni privat; ut accidit in Paralisia, & Apoplexia. Sulphura sunt balneæ, in quibus sulphurei vapores aridum æstum pariunt, dum effluunt e terra, & inde sudorem excitant.

V. 10. Oportet relinquere Bajas.

Est iter, aut Bajas; læva stomachosus habena
Dicet eques: (sed equis frenato est auris in ore)
Major utrum populum frumenti copia pascat:
Collectosne bibant imbres, puteosque perennes
Dulcis aquæ: (nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo possum quodvis perferre, patique:
Ad mare quum veni, generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas, animumque meum; quod verba ministret:
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ)
Tractus uter plures lepores, uter educet apros,
Utra magis pisces, & echinos æquora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phæaxque reverti:
Scribere te nobis, tibi nos adcredere par est.
Mænius, ut rebus maternis, atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus, non qui civem dignosceret hoste:
Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus:

V. 12. Roma proficiscenti & Campaniam adeunti via in duas scissa occurrit, dextra ad Cumas & Bajas conversa, læva vero ad Capuam, Salernum, & Veliam.

V. 17. Ait, se vina licet mala, dum Usticæ moratur, non ægre bibere, sed cum mari propior est, optima vina velle potare, quæ facile ex variis regionibus invecta emi possunt.

V. 21. Juvenem factum vini gratia.

V. 25. A te peto, ut hæc mihi narres, nam omnia hujusmodi calles; tuo testimonio fidem adhibebo.

V. 26. Ait, se æque accommodari dapsili mensæ, ac frugali; utque id comprobet, maligne utitur exemplo Mænii, quem aceto adspergit. Est ille Mænius, de quo in Satira prima. Porphirio putat, eum esse, qui S. l. 8, vocatur Pantolabus.

V. 27. Scurrari cœpit, & parasitari.

V. 28. *Vagus*, i. incerti laris.

V. 29. *Impransus*, i. vacuo ventre.

Pernicies ac tempestas, baratrumque macelli,
Quidquid quæsierat, ventri donaret avaro:
Hic ubi nequitiæ fautoribus, ac timidis nil,
Aut paulum abstulerat, patinas æquabat omasi
Vilis, & agninæ tribus ursis quod satis esset.
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, corrector Bestius. Idem
Si quid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum, ac cinerem, non hercule miror,
Ajebat, si qui comedunt bona: quum sit obeso
Nil melius turdo, vulva nil pulchrius ampla.
Nimirum hic ego sum. Nam tutus parvula laudo,
Quum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi contingit melius quid, & unctius: idem
Vos sapere, & solos ajo bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

V. 32. Ordo est: *qui non teneret certum præsepe, non civem hoste dignosceret, quidquid quæsierat, ventri donaret.*

V. 33. *Nequitiæ*, i. suæ. cum ab iis, qui linguæ aculeos veriti in omni intemperantia eum detinere solebant, nihil aut pauca accipere aliquando posset.

V. 34. *Æquabat*. lepide dictum, penitus devorabat.

V. 36. Servorum gulosorum ventri stygmata ferro candenti inurebantur, fugitivorum vero pedibus, furum manibus, linguæ maledicorum.

V. 41. Amplo ubere suillo. ubera porcæ primiparæ maxime appetebantur.

V. 42. Aristippum & Alcibiadem Poeta imitabatur.

V. 45. Qui potestis percipere amplos reditus ab optime cultis agris.

EPISTOLA XVI.

AD QUINTIUM.

Villæ suæ formam, situm, commoda Quintio describit. Tum recte factorum conscientia probitatem, probitate libertatem constare admonet.

NEc perconteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ,
Pomisne, an pratis; an amicta vitibus ulmo;
Scribetur tibi forma loquaciter, & situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opaca
Valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
Lævum decedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes; quid, si rubicunda benigni
Corna vepres, & pruna ferant? Si quercus, & ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.

Quintius fortasse jocular iter sæpe ab Horatio amico suo perebat, quam late pateret, ubi situs esset, quos reditus ferret Sabinus ager. Poeta, postquam satisfactum ratus est Amico roganti, ea precepta tradit, quæ Quintio quidem convenire, non autem arridere poterant. Scite miscet utile dulci. Notandum est obiter, Horatium in Carminibus verius cognosci posse, quam in Epistolis: in illis enim τῆς φαντασίας æstu accensus velut ebrius secreta animi sui aperit, seque Epicuri, vel Aristippi asseclam venditat; in his vero pacato τῆς φαντασίας omni motu veluti sobrius caute celat animi sui sensa, & ea dicit, quæ quisque sapiens sentit. Revera *omnis* Horatium, ut *Aristippum decuit color & status, & res*. Putat Sanado ex versu 29 colligi, Epistolam posteriorem esse anno 726.

V. 4. *Loquaciter*, i, longo sermone.

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus.
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam, ſi credis, amœnæ
Incolumem tibi me præſtant ſeptembribus horis.
Tu recte vivis, ſi curas eſſe, quod audis.
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum;
Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas:
Neve putes alium ſapiente, bonoque beatum:
Neu, ſi te populus ſanum, recteque valentem
Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi
Diſſimules, donec manibus tremor incidat unctis:
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, & his verbis vacuas permulceat aures:
Te ne magis ſalvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui conſulit & tibi, & urbi,
Jupiter: Auguſti laudes agnoſcere poſſis.
Quum pateris ſapiens, emendatuſque vocari,
Reſpondeſne tuo, dic ſodes, nomine? nempe
Vir

V. 14. Uſquedum nequam homo honoribus, & laudibus cumulatur, conſcientia ſcelerum torquetur, quæ quidem tacite laudibus immerito dictis contradicit. Poeta Quintium ſimulatorem hominem noverat. Utinam noviſſet etiam Lollium.

V. 20. Ne putes, te poſſe eſſe beatum ſine ſapientia. *alium*, i. diverſum ab eo, qui bonus & ſapiens ſit.

V. 23. In menſa, ubi fere manus unguntur in contrectandis cibis.

V. 26. *Vacuas*, i. apertas, vacantes.

V. 27. Ordo eſt: *Jupiter, qui conſulit & tibi & urbi, ſervet in ambiguo, an velit te magis ſalvum, an tu populum. ſervet in ambiguo*, i. ſemper dubitandum relinquat. non modo mirifice laudat Auguſtum, ſed etiam Varium, e cujus poemate hos duos verſus egregios mutuatus eſt, quibus Auguſtus mirum quantum extollitur.

V. 31. Putaſne te eſſe revera ſapientem? qui de ſe bene ſentit propter laudes, quibus ab adulatoribus cumulatur,
per-

Vir bonus, & prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet: (ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem)
Pone, meum est, inquit: pono, tristisque recedo.
Idem, si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum,
Mordear opprobriis falsis, mutemque colores?
Falsus honor juvat, & mendax infamia terret
Quem? nisi mendosum, & medicandum? vir bonus est quis?
Qui consulta Patrum, qui leges, juraque servat:
Quo multæ magnæque secantur judice lites:
Quo res sponsore, & quo causæ teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, neque fugi, si mihi dicit
Servus: habes pretium, loris non ureris, ajo.
Non hominem occidi; non pásces in cruce corvos.
Sum bonus & frugi; renuit, negitatque Sabellus.

perterreri debet propter crimina, quæ a calumniatoribus sibi tribui possent. Hæc voluptas, ille dolor ab eodem fonte manant, & animi imbecillitatem denotant. Sed illi, cui persuasum est, se bonum aut malum minime effici posse, eo quod bene vel male audiat, de se ipso judicat ex conscientiæ suæ testimonio, non ex vulgi opinione.

V. 35. Non consulatus insignia, sed sapientis nomen, quod frequenter populus usurpat vana deceptus rerum specie.

V. 40. Si te virum honum haberi cupis, & gaudes, & doles malum injuria vocari, hoc argumento est, animum tuum vitiosum esse; consule ergo Rationem, Philosophiam.

V. 43. Sponsor est, qui res traditas fidei suæ tuetur. *tenentur*, i. tutæ sunt.

V. 45. Vanitas, falsus honor, officii ratio, aut alia hujusmodi hominis animum celant. Sed perversi mores eum larva exuunt, & conspiciendum ejus ingenium præbent.

V. 49. *Sabellus*, i. Samnis, vel Sabinus servus rusticus

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum milvius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ,
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis,
Nam de mille fabæ modiis quum subripit unum,
Damnum est, non facinus, pacto mihi lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat, & omne tribunal,
Quandocumque Deos vel porco, vel bove placat,
Jane pater, clare, clare quum dixit, Apollo:
Labra movet, metuens audiri: pulchra Laverna
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum quum se demittit ob assem,
Non video. nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda, festinat, & obruitur re.
Vendere quum possis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter: sine, pascat durus, aretque,

Na-

Horatii. ille jactat officia sua domino, ea de causa, quia nihil furatur, neminem occidit, fugam non capessit. esto, ait dominus: hæc publica sunt, quæ ignorari nequeunt. Sed cum vafer homo hinc colligit, se virum honestum esse; nego, ait dominus, eumque ad agri sui incolas mittit, qui cum quotidie eum viderint, multa scire poterant, quæ ad privata servi officia pertinerent, quæque domino ignota essent.

V. 55. Ordo est. hoc pacto *lenius est damnum non autem lenius est facinus.*

V. 59. Alta voce clamat: o Jane, o Apollo, sed postea submissa voce ait, o pulchra Laverna &c.

V. 63. Postrema Epistolæ pars, qua ostendit, nullum jugum durius existere, quam quod cupiditates nobis imponunt.

V. 64. *Ob assem* accipiendum.

Naviget, ac mediis hyemet mercator in undis:
Annonæ prosit: portet frumenta, penumque.
Vir bonus, & sapiens audebit dicere. *Bac.* Penteu
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? *Penth.* adimam bona. *B.* Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum? tollas licet. *P.* in manicis, &
Compedibus sævo te sub custode tenebo.
Ipse deus, simulatque volam, me solvet. *Hor.* opinor
Hoc sentit, morior. Mors ultima linea rerum est.

V. 73. Vir honestus est, quem nec bonorum jactura, nec libertatis ereptio, nec vitæ periculum extremum ab officio deterret. hanc definitionem Poeta sufficit in ejus locum, quam Quintius attulerat. exemplum proponit ex Bacchis Euripidis act. 2. v. 492, ubi Pentheus Thebarum Rex minas Baccho intentat.

V. 78. *Ipse* &c. respondet Bacchus. *Opinor* &c. i. ut puto, hic Deus est mors.

V. 79. *Rerum*, i. malorum. hoc eleganter refertur ad illum funem vel *albam lineam*, sive sulcum transversum creta repletum, ad quam lineam frontes equorum jam jam e carceribus emittendorum in Circo æquabantur a moratoribus, ne ante datum signum justumque tempus eam transilirent.

EPISTOLA XVII.

Actuosam vitam, inerti ac privatæ anteponendam, laudabile esse Principum gratiam demereri, eorum tamen liberalitatem caute ac prudenter esse solicitandam.

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, & scis,

Illustrium filiorum familias maxime interest scire, quo pacto se gerere debeant cum Principibus viris. Horatius, qui

Quo tandem pacto deceat majoribus uti:
Disce, docendus adhuc, quæ censet amiculus: ut si
Cæcus iter monstrare velit; tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si te grata quies, & primam somnus in horam
Delé-

qui aulæ ingenium & conditionem probe callebat, is unus erat, qui rem totam cæteros edocere poterat. Integrum vitæ spatium apud potentissimos viros traduxit, quorum existimationem, gratiam, & liberalitatem sibi comparavit. Alumnus ille Mæcenatis cordatissimi viri, & diutissime in aulæ vicibus perpendendis versatus exempla sibi ob oculos ponebat, quæ sagacissimam agendi rationem indicarent. Tandem perspicacissimo quo pollebat ingenio, & liberrimo animo pervolvebat, quidquid tot viris aulicis contingeret. Moralia ejus carmina hujusmodi institutis referta sunt, quæ aperte declarant, quam felici successu intima aulæ penetralia rimatus sit, sed duæ Epistolæ in primis, quas Lollio & Scævæ inscripsit. Ac prima quidem carpit præposterum potentissimorum virorum in agendo prolubium, altera vero purgat eos, qui se iisdem accommodant honorifice; utraque liquido monet juvenes aulicos, quomodo viam hanc salebrosissimam inire feliciter possint. In hac igitur primum ostendit, vitam actuosam illius, qui magnorum virorum benevolentiam sibi adsciscere cupit, esse honestiorem vita otiosa hominis æmulationem aspernantis, & secessum quærentis. Deinde addit: nihil est periculosius iis, qui magnis viris obsequuntur, quam congerendorum bonorum cupiditas, aliarumque utilitatum ratio. Postrema epistolæ pars Scævam contra illud vitium munit. Videtur fuisse scripta ultimis Poetæ annis, idest, esse multo posterior Epistola, *Si bene te novi*. Quoniam ambæ commune argumentum præseferunt, Grammatici eas consociarunt; verum ipsi ordinem temporum inverterunt, eam priorem constituentes, quæ multo est posterior altera.

V. 3. *Amiculus*: vox blandientis, qua Horatium adolescens Sceva vocabat, fortasse innuens exiguam ejus staturam, vel fortasse superbi animi index erat in nobili juvene.

V. 5. Quod ratio comprobat, in rem tuam converte. Quinam fuerit hic Scæva, nos latet. non est Lollius. Quod legitur apud Acronem ad Lollium Scævam, est erratum exscriptorum.

V. 6. Duæ animi labes nos occupant, otium & ambitio. pri-

Delectat: si te pulvis, strepitusque rotarum,
Si lædit caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis:
Nec vixit male, qui natus, moriensque fefellit.
Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus; si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. Utrius horum
Verba probes, & facta, doce: vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia: Namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut ajunt,
Scurror ego ipse mihi, populo tu. Rectius hoc,
&

Splen-

prima vitam privatam amplectimur, altera vero popularem, vel aulicam auram sectamur. Horatius utriusque cupiditatis emolumentis ponderatis secundæ causam tuetur. *primam:* loquitur de iis, quos sol semper lecto cubantes offendit. quod est indicium ignaviæ, & indolentiæ.

V. 8. Hortatur Scævam, ut in aliquem locum secedat a cauponarum, & curruum strepitu remotum. Jam vero Ferentinum Tuscum erat urbs a via publica distans.

V. 9. Cum dicat, Scævam felicem esse posse pauca bona possidendo in secessu, indicat pariter eumdem divitem non fuisse; quod quidem Lollio convenire nequit, qui locuples erat.

V. 10. *Fefellit*, i. obscuro loco vixit, latuit, qui a primo ortus sui momento usque ad mortem mortalium conspectum fugit. hæc Epicuri doctrina erat, teste Seneca: Non accedet ad Remp. sapiens, nisi si quid intervenerit. Certe Principis est eligere viros optimos. Si quis sponte officium suum exhibeat, suspectus habeatur, necesse est. Animadvertendum est, Horatium rem exaggerare, cum loquitur de eo consilio, a quo suscipiendo avocare vult Scævam.

V. 12. Bene cœnare. Divites non prius mensæ accumbebant, quam caput unguentis odoriferis adspersissent. opponitur τὸ *siccus* ad τὸ *unctum*. *siccus* est *pauper*, *unctus* dives.

V. 13. Alii putant, hæc a Theodoro, & Metrocle dicta, non a Diogene, & Aristippo. (V. Ind. *Diogenes*, *Antisthenes*) Hoc exemplo vitam otiosam improbat.

Splendidius multo eſt, equus ut me portet, alat
rex,
Officium facio. tu poſcis vilia rerum
Dante minor: quamvis fers te nullius egentem.
Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res,
Tentantem majora, fere præſentibus æquum.
Contra, quem duplici panno Patientia velat,
Mirabor, vitæ via ſi converſa decebit,
Alter purpureum non expectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Perſonamque feret non inconcinnus utramque.
Alter Mileti textam cane pejus & angue
Vitabit chlamidem; morietur frigore, ſi non
Rettuleris pannum: refer, & ſine vivat ineptus.
Res gerere & captos oſtendere civibus hoſtes,
Attingit ſolium Jovis, & cœleſtia tentat.
Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum:
Sedit qui timuit, ne non ſuccederet: eſto.
Quid? qui pervenit, fecit ne viriliter? atqui
Hic eſt, aut nuſquam, quod quærimus. hic onus
horret,
Ut pravis animis, & pravo corpore majus:
Hic ſubit, ac perfert. Aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus & pretium recte petit experiens vir.

Co-

V. 25. *Duplici*, i. craſſo, vel duplicato.

V. 33. Magnificis hiſce verſibus accendere vult Scævam ad conſilium propoſitum ineundum.

V. 34. Nonnullæ res geſtæ viros ad cœlum evehunt.

V. 36. Suidas ait, ex difficultate adeundi portum Corinthi natum illud adagium; Strabo ex luxu, & opibus Corinthiorum; Gallius & alii ex Laide inſigni meretrice, quæ corporis ſui uſum maximo vendebat, ideoque plurimos amaſios rejiciebat.

V. 37. Qui ſuis viribus diffidens a re difficili ſuſcipienda abſtinet, caute ſe gerit ſane; ſed quid dicis de eo, qui ſtrenue ſe geſſit? nonne laudandus eſt? hic eſt, quod quærimus, non alibi; aut virtus &c.

Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferunt. distat, sumasne pudenter,
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons,
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus,
Qui dicit, clamat: victum date. Succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ minus, & minus, invidiæque.
Brundusium comes, aut Surrentum ductus amœnum,
Qui queritur salebras, & acerbum frigus, & imbres,
Aut cistam effractam, & subducta viatica plorat:
Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis, verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum: licet illi plurima manet
Lacryma: per sanctum juratus dicat Osirim,
Credite, non ludo: crudeles, tollite claudum:
Quære peregrinum, vicinia tota reclamat.

V. 43. Viri aulici de paupertate quidem sua verba faciunt, sed ita ut suspicionem injiciant, se utilitatis causa viro Principi obsequi.

V. 45. *Rapias*, importuna ratione.

V. 49. Dividemus partem in duas. *quadra* est hic vox satirica. erat lancis genus, modice concavæ, qua panem publice distributum plebs accipiebat.

V. 55. *Catellam*, i. parvam catenam, monile.

V. 56. Zonulam, & ornamentum crurum.

V. 59. Planus Græce est Erro, Sycophanta. Acro ait esse nomen notissimi impostoris.

V. 60. *Osirim*, i. Bacchum.

V. 62. Quempiam, qui te non noverit, qui tibi sit peregrinus,

EPI-

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIUM.

De colenda Principum amicitia fuſe diſputat, tum de comparanda animi tranquillitate pauca ſubjungit.

SI bene te novi, metues, Liberrime Lolli,
Scurrantis ſpeciem præbere, profeſſus amicum.
Ut matrona meretrici diſpar erit, atque
Diſcolor, infido ſcurræ diſtabit amicus,
Eſt huic diverſum vitio vitium prope majus,
Aſperitas agreſtis, & inconcinna, graviſque,
Commendat quæ ſe intonſa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus eſt medium vitiorum, & utrinque reductum.
Alter

Multi nobiles juvenes cordi erant Horatio, inter quos junior Lollius. Prima Epiſtola juvenem munit, ne a Virtute recedat; hac ſecunda docet, quo pacto ille ſe gerere debeat erga Principes viros ad ineundan eorum gratiam. Hæ duæ Epiſtolæ pulcherrimæ ſunt. Vincit tamen hæc illam argumenti ſolertia. Optimis Politices præceptis juvenem aulicum imbuit ſcite, & ſalſe. Virorum potentium taxat abſurdam, atque abnormem agendi rationem; quare concludit, aulicorum virorum ſervitutem omnium graviſſimam eſſe. Huic Epiſtolæ apponitur annus 734, quo hic Lollius 24 annos natus ſtipendia facile merebat in Auguſti exercitu in Oriente. Credibile eſt, Lollium Patrem illuc profectum fuiſſe jam depoſito conſulatu, quo functus fuerat anno præcedenti.

V. 1. Candor fere ſemper ab aula exulavit. candidus erat & liber Lollii animus, ideoque conſiliis indigebat, quibus ad Principis nutum ſe fingeret. Ejus Pater erat verſipellis, & ſimulator.

V. 9. Medium inter adulationem, & hanc ſingularem libertatem.

Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi
Deriſor lecti, ſic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Ut puerum ſævo credas dictata Magiſtro
Reddere; vel partes mimum tractare ſecundas.
Alter rixator, de lana ſæpe caprina
Propugnat, nugis armatus: ſcilicet, ut non
Sit mihi prima fides, & vere quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera ſordet.
Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat, an Dolichos plus?
Brunduſium Minuci melius via ducat, an Appi?
Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem ſupra vires & veſtit, & ungit:
Quem tenet argenti ſitis importuna, fameſque,
Quem paupertatis pudor & fuga: dives amicus
Sæpe

V. 11. *Deriſor* &c. Scurra qui poſtremum lecti locum occupat.

V. 14. *Vel partes* &c. agere adjectorem ſecundarium, adjutorem qui differebat a monitore. monitor erat is, quem vocamus *il ſuggeritore*.

V. 13. Fortaſſe Orbilium notat, quem plagoſum appellat Epiſt. 1. lib. 2.

V. 15. Capræ non lanam, ſed pilos habent. hinc latini dicebant *lanam caprinam*, ut ſignificarent *nihil*.

V. 16. Contendo, ait, mea verba legis vim habere, viribus omnibus hoc propugno, licet mihi pollicearis triginta annos vitæ amplius quam fata velint, nunquam certe a ſuſcepta opinione deſiſtam.

V. 18. *Elatrem*. dicendi modus ſatiricus. *ætas altera* eſt ſpatium 30 annorum.

V. 19. Quidnam tandem in diſceptationem venit? fortaſſe tacite hæc refert ad Mæcenatem, nam Sat. 6. lib. 2. ait: *& cui concredere nugas, hoc genus, hora quota eſt? Threx eſt Gallina Syro par?* perſuadere volebat Horatius Romanis, ſe non eſſe a conſiliis Mæcenatis, ne moleſtiis percontatorum afficeretur. ita ipſe exemplo præceptum docebat, quod tradidit verſu 69.

V. 22. Significat mollitiem in conviviis, & luxum in veſtibus.

Sæpe decem vitiis instructior odit, & horret.
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus, quam se, sapere, & virtutibus esse priorem
Vult: & ait prope vera: Meæ (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes: tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga: desine mecum
Certare. Eutrapelus cuicumque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim jam
Pulchris cum tunicis sumet nova consilia, ac spes:
Dormiet in lucem: scorto postponet honestum
Officium: nummos alienos pascet: ad imum
Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scitaberis illius unquam:
Commissumque teges & vino tortus & ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes:
Nec, quum venari volet ille, poemata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis, atque
Zethi dissiluit: donec spectata secreto
Conticuit lyra: fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion. Tu cede potentis Amici
Lenibus imperiis: quotiesque educet in agros
Æoliis onerata plagis jumenta, canesque,
Surge, & inhumanæ senium depone Camœnæ;
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus empta:
Romanis solemne viris opus, utile famæ,
Vitæque, & membris: præsertim quum valeas, &
Vel cursu superare canem, vel viribus aprum
Possis. adde virilia quod speciosius arma

Non

V. 26. *Regit*, i. utitur tanquam mancipio.
V. 29. Opes tribuunt jus stulte agendi.
V. 35. *Pascet*, i. alet alienos nummos. fœnus est alimento capiti, dum auget proventum fœneratoris. *ad imum*, ad extremum.
V. 38. Vinum & ira sunt scopuli, ad quos fides impingit.
V. 47. *Senium*, i. morositatem, asperitatem.

Non est qui tractat. scis, quo clamore coronæ
Prælia sustentes campestria. Denique sævam
Militiam puer, & Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc; & si quid abest, Italis adjudicat armis.
Ac ne te retrahas, & inexcusabilis abstes;
Quamvis nil extra numerum fecisse, modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno.
Partitur lintres exercitus: Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur.
Adversarius est frater: lacus, Adria: donec
Alterutrum velox Victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, & cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures:
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici;

Ne

V. 55. *Puer:* proprie dictum.

V. 56. Hæc Epistola igitur scripta fuit eodem anno, quo Phraates Parthorum Rex restituit Augusto Romana insignia, nempe anno 734. Poeta agebat annum ætatis suæ 45.

V. 60. Ludos exhibes spectandos.

V. 61. Hic maritimus ludus affabre descriptus est a Poeta, & juveni Lollio maximæ est laudi. (V. Ind. *Octavius*).

V. 63. Frater minor natu. *lacus lucrinus*.

V. 66. Metaphora sumta a gladiatorio ludo. cum alteruter gladiator solo prosternebatur, ei vitam concedebat populus demittens pollicem, morte vero multabat, tollens. Plin. lib. 28. c. 2.

V. 72. Fortasse spectat, quod Virgilio accidit, qui Pollionis vel Cæsaris Alexandrum juvenculum servum adamavit, & dono accepit, eumque secunda Bucolicorum Ecloga Alexim appellat; deperiit etiam Cebetem, & Aleriam Mæcenatis vernas.

Ne dominus pueri pulchri, charæve puellæ,
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes etiam atque etiam adſpice : ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus. ergo
Quem ſua culpa premet, deceptus omitte tueri:
At penitus notum ſi tentent crimina, ſerves,
Tuteriſque tuo fidenter præſidio, qui
Dente Theonino quum circumroditur, ecquid
Ad te poſt paulo ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet:
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. tu dum tua navis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi,
Sedatum celeres, agilem, gnavumque remiſſi,
Potores liquidi media de luce Falerni

Ode-

V. 74. Dominus aut tibi permittet ſuam ancillam, vel negabit. Si primum: majorem ei gratiam habes, quam valeat munus. inſuper hoc leve munus præſtantioris beneficii locum tenet; ſin alterum, dolore graviſſimo angeris, & ſuſpectus haberis.

V. 76. Compertum prius habeas, eum, quem commendas Principi, virum eſſe revera probum; accidit, ut creduli, vel nimio ſtudio ducti, facile commendent viris Principibus eos, quos parum noverunt; hinc fit, ut potentes viri, ſi ſemel decepti fuerint, caveant, ne iterum fallantur.

V. 80. *Tentent*. lædant.

V. 81. Numquid proviſione animi ſentis periculum, quod amico creatur, imminere tibi?

V. 83. Injuſta calumnia te quoque opprimet.

V. 86. Jucunda eſt Principum amicitia ignorantibus eorumdem ingenium, ſed terribilis eſt probe cognoſcentibus.

V. 87. *Tu dum*. fortaſſe hinc colligi poteſt, Lollium filium fuiſſe tunc in Syria cum Auguſto, aut in Armenia cum Tiberio.

V. 91. Roſellus legit, *Potores Bibuli* &c. ut ſenſus ſit:

Poto-

Oderunt porrecta negantem pocula, quamquam
Nocturnos jures te formidare tepores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum.
Ne te semper inops agitet, vexetque cupido,
Ne pavor, & rerum mediocriter utilium spes.
Virtutem doctrina paret, naturane donet?
Quid minuat curas? quid te tibi reddat amicum?
Quid pure tranquillet; honos, an dulce lucel-
lum,
An secretum iter, & fallentis semita vitæ?
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus:
Quid sentire putas? quid credis amice precari?
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus, & mihi
vivam,
Quod superest ævi, si quid superesse volunt Di.
Sit bona librorum, & provisæ frugis in annum

Potores insignes, qui bibunt media de nocte Falernum Bibulo Consule cella vinaria conditum. Hinc Ode 28. lib. 3. *Cessantem Bibuli Consulis amphoram*: & asserit, Horatium solitum non prorsus res verbis exprimere. ut O. 16. lib. 3. *Appulus arat* pro metit. O. 11. lib. 4. *Plenus Albani cadus* ubi omittitur *τὸ vini*.

V. 96. Nunc ea præcepta dat Lollio, quibus instructus mores suos conformet, ut felix sit, & significat felicitatem non in Principum perfruenda gratia, sed in animi tranquillitate sitam.

V. 100. Animadverte, an virtus sit donum naturæ, an doctrinæ fructus.

V. 101. *Te tibi* &c. i. quid sedet motus turbulentos animi.

V. 103. An vita obscura, longe ab hominum consociatione remota.

V. 107. Meo arbitrio ætatem degam, alienæ libidini minime serviens.

Copia, ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Hæc satis est orare Jovem, quæ ponit, & aufert:
Det vitam, det opes: animum mihi ego ipse parabo.

V. 110. Unius anni proventus sibi superesse vult, ut si quo fato spem proventus fallat proxime venturi anni inclementia, habeat, unde vitam sustentet. *horæ*, i. fati.

EPISTOLA XIX.

AD MÆCENATEM.

Quorumdam, qui se ipsum imitarentur, fatuitatem, qui criminarentur, invidiam coarguit.

PRisco si credis, Mæcenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus, ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris, Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.
Ennius ipse Pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Man-

Jam diu Horatius inter Poetas lyricos primas tenebat. Idcirco plures habebat sui imitatores, & invidos. inter imitatores recensebantur plurimi inepti Poetæ, qui cum virtutes ejus assequi nequirent, vitia sectabantur. Invidi vero dictitabant, eum ita immodica superbia efferri, & φιλαυτίᾳ, ut versus suos in Poetarum cœtu recitare dedignaretur, eosque tantum legeret Principibus viris. Quoad primos docet, se imitatum fuisse græcos, & quo pacto ipse imitandus sit; quoad invidos, causas invidiæ aperit.

V. 3. *Ut male sanos* &c. ex quo Poetæ existunt.

V. 8. Non Cratinus, nec Ennius, qui obierant centum annis ante Libonem; non Liber, nec Mæcenas, sed Horatius

Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixi, non cessavere poetæ
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, ac pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutem ne repræsentet, moresque Catonis?
Rupit Jarbitam Timagenis æmula cœna,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Proh! si
Pallerem casu, biberent exsangue Cuminum.
O imitatores, servum pecus! ut mihi bilem,
Ut mihi sæpe jocum vestri amovere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps:
Non aliena meo pressi pede: qui sibi fidit
Dux, reget examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros, animosque secutus
Archilochi, non res, & agentia verba Lycambem.

tius verba hic facit. Rosellus existimat, hæc verba usurpari solita vulgo ab ebriosis hominibus, & v. 10. scribendum *edixit*, ubi subaudiatur quidam e vulgo.

V. 9. *Cantare*, i. versuum faciendorum jus.

V. 10. Ecce exemplum præposteræ imitationis. Fortasse dixit Horatius, optimos versus componi non posse, nisi vinum prius bibatur. Mediocres Poetæ hinc collegerunt, vinum bibendum canendorum versuum causa.

V. 13. Si quis putaret, te imitari Catonis Uticensis vultum, si palam, ut ille, pede nudo, & brevi simplicique veste indutus prodiret, an idcirco &c.

V. 17. Cujus vitia dumtaxat imitari possumus.

V. 21. Quantopere a servili, & vitiosa veterum imitatione abhorreret, ostendit, & qua in re eos imitatus fuerit, & qua differat.

V. 22. *Qui sibi fidit*, i. qui sibi bene conscius est, & probatæ virtutis, reget alios.

V. 25. Imitatus est Archilochum quoad formam versuum, & fel, amaritiemque, prætermissis tamen rebus, & dicendi modis. id certe non affirmaret Horatius, si Catullus, ut affirmat inconsulto Scaliger, Archilochum secutus jambos multis annis ante evulgavisset.

Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos, & Carminis artem:
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcæus; sed rebus, & ordine dispar,
Nec socerum quærit, quem versibus oblinat artis,
Nec sponsæ laqueum fumoso carmine nectit.
Hunc ego non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen. juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Lau-

V. 26. *Brevioribus*, i. quæ breviter durant.

V. 27. Licet pedes diversos in versibus suis posuerit, v. g. spondæum in tertio Alcaici versus pede, ubi Alcæus jambum; licet spondæum tertio versus jambici pede (qui versus jambicus tertius est in strophis Alchaicis) cum Alcæus sæpe posuerit jambum; licet Alcæus & Sappho sæpe usi fuerint trochæo in secundo loco versus Sapphici, ubi Horatius semper spondæum; licet demum quandoque Poeta mutaverit ordinem versuum, quem nactus est apud græcos, quandoque etiam magnos versus in duos sciderit, tamen nunquam mutavit formam, ac pedes versuum, quos ab illis accepit; accepit etiam ab illis nobiles spiritus, ita tamen, ut non imitator, sed Princeps lyricorum Poetarum merito appellandus sit. certe ille & venustate sententiarum, aureo eloquentiæ flumine, verborum proprietate, figurarum luminibus, evigilataque, ac simul felici scribendi ratione, & curiosa illa felicitate inter Poetas Lyricos & Satiricos principatum tenet.

V. 28. *Temperat*, i. miscet. Carmina sapphica non minus dulcia, quam nervosa sunt. Sappho, & Alcæus musam suam miscent pedibus Archilochi.

V. 29. Alcæus imitabatur versus Archilochi, servato pedum numero, & ordine, sed de rebus aliis agebat, & alium versuum ordinem adhibebat.

V. 32. *Hunc*, i. Alcæum. Ego primus eum notum feci in Italia, ante me eum nemo imitatus est.

V. 33. Mihi nova carmina producenti honor debendus.

V. 35. Lector gratiam habere debet Auctori ex voluptate, quam in legendo præclaro probatoque opere percepit. Sed invidia fit, ut ille moleste ferat, aliquid pulchri, & boni ab alio productum fuisse.

Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum, ac tritæ munere vestis;
Non ego nobilium scriptorum auditor & ultor
Grammaticas ambire tribus, & pulpita dignor.
Hinc illæ lacrymæ. Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, & nugis addere pondus:
Si dixi: rides, ait, & Jovis auribus ista
Servas! fidis enim manare poetica mella
Te solum, tibi pulcher: ad hæc ego naribus uti
Formido; & luctantis acuto ne secer ungui,
Displicet iste locus, clamo: ac deludia posco.

V. 36. *Premat*, i. vituperet.

V. 37. Ait: vis causas scire invidiæ tantæ? quia scilicet ego nolo suffragia emendicare.

V. 38. Solebant magistratuum petitores muneri dare vestes tritas humili genere natis, pauperibusque hominibus, quorum suffragia venabantur. fortasse etiam aliqui poetæ muneribus laudes sibi emebant.

V. 39. Ironia. scilicet, quia ego recuso audire stultos illos, qui mihi vellent recitare opera sua; ut ulciscar fastidium, quo me affecissent. vel: quia, cum audiam scripta nobilium Poetarum, & more Aristarchi critica castigem, & vindicem, obsequi nolo stultis Grammaticis, ut ipsi vicissim in scholis suis mea carmina legenda præbeant pueris. Vel serio dicit, se occupatissimum in audiendis nobilibus scriptoribus, & a mendaci Grammaticorum censura vindicandis eo devenire nolle, ut vanæ celebritatis spe illectus istis censoribus obsequatur. Ita taxat quosdam suæ ætatis Poetas, qui Grammaticorum scholas ambibant.

V. 41. Hinc illorum rabies, & luctus manat.

V. 43. Si dico: tu, o bone me derides, nam mea carmina nugæ sunt, tunc ille respondet, me ea reservare velle auribus Augusti.

V. 45. Nolo maledicorum tela meis retundere. Fortasse igitur hæc Epistola præcedit Satiræ 6. lib. 1. in qua ultus est contumelias istorum hominum.

V. 47. Dico iis, me contremiscere præsentia publicæ arenæ. *Deludere* est aliquandiu a ludo desistere. *τὸ deludia* erat tempus quietis, quod concedebatur gladiatoribus, antequam in campum descenderent lusuri.

Ludus enim trepidum genuit certamen, & iram,
Ira truces inimicitias, ac funebre bellum.

EPISTOLA XX.

AD LIBRUM SUUM.

Erumpere gestientem retinere frustra conatus, quid molestiæ exsorbendum sit, monet, ac nonnulla de se posteritati nuncianda mandat.

VErtumnum Janumque, Liber, spectare videris:
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus,
Odisti claves & grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, & communia laudas,
Non ita nutritus. fuge quo descendere gestis.
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quid te læserit, & scis
In breve te cogi, plenus quum languet amator.
Quod si non odio peccantis desipit augur,

Cha-

Anno 733 Horatius in lucem edidit aliquot Satiras, & Epistolas in unum collectas, in quarum fronte hoc velut epistolium posuit. Per allegoriam pueri, qui domus paternæ tædio affectus libertatis aura frui velit, & genio morigerari, librum suum scite de iis monet, quæ pluribus scriptoribus prodesse possunt.

V. 2. Ex pergamena antea perpolita libri conflabantur.

V. 5. Non hæc tibi hactenus præcepi. *fuge*, i. abi.

V. 8. In arctum volumen contrahi. libri veterum erant quædam cartharum volumina, quæ evolvebantur, ut aperirentur, claudebantur autem, & obligabantur pellis cujusdam involucro. *amator*, i. studiosus lector avidissime librum arripit, & devorat, cum vero legendo fessus est, eo minus amore, & cupiditate fertur, quo magis molestia afficitur; tunc liber clauditur, clausus & sepositus obliteratur.

V. 9. Ego augur desipio. quod si vere ego præsagio neglectum tui propter odium injustæ tuæ petitionis, tu tantisper lectoribus tuis placebis, dum novus & recens futurus es.

Charus eris Romæ, donec te deferet ætas.
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus: ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum.
Iratus quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, & in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas.
Me primis urbis belli placuisse, domique,
Corporis exigui, præcanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.

V. 13. Cum liber e dignitatis gradu decidebat Romæ, mittebatur a bibliopolis in provincias. Rosellus ait, duo illa puncta postposita *τῷ exauditus* argumento esse, eum, qui protrusit Asellum in rupes, risisse, quia asinus per suam pervicaciam impulerat ejus animum ad id faciendum. Sed non eam esse mentem Horatii. Sic igitur legit. *Ridebit monitor, non exauditus ut ille, qui* &c. Comparatio spectat *τὸ non exauditus* non autem *τὸ ridebit*.

V. 18. Ut balbus jam senex effectus occuperis in docendis pueris elementa in scholis suburbanis. In regionibus quibusque clarissimis Romæ insignes scholæ existebant, ubi discipulis præclara exemplaria græca & latina explicabantur. In suburbanis vero scholæ inferiores erant, in quibus elementa litterarum pueri edocebantur.

V. 19. Cum jam solis radiis aer obtepuerat, litterati viri vel in ædes quasdam privatas conveniebant, vel in bibliothecas, vel in publica compita deambulationi apta legendi causa libros, qui identidem divulgabantur.

V. 20. Animadverte candorem Horatii.

V. 24. Horatius valde frigora reformidabat, regiones calidas conquirebat, hiberno tempore appropinquabat mari; propter hyemis lenitatem prædicabat Tarentum.

Forte meum ſi quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos ſciat impleviſſe decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

V. 28. Natus eſt 6 idus Decembres anno 689. ideo complevit 44 ætatis annum menſe Decembri anno 733.



Q. HO-

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

AD AUGUSTUM

Amplissimis eum laudibus demeretur; tum de Poesi unde cœperit, ut judicanda sit & ornanda, varie disserit.

Hor. QUum tot sustineas, ac tanta negotia solus,

Res

Pulcherrima hæc Epistola Augusto doctissimo Principi inscripta est, qui hoc amicitiæ argumentum conceptis verbis postulavit a celeberrimo Poeta. Quadripartita est. In prima parte Auctores recentes cum veteribus comparat, multaque præclara dicit, in altera ostendit, novitatem esse artium matrem, in primis Poeseos, cui maximæ laudes, & præmia debentur. In tertia agit de Dramatibus, & summa excellendi difficultate. In postrema tandem liquido declarat, quantopere Principes animum debeant adjicere Poetis Epicis, Lyricis, & cæteris, qui præstantia illustrium virorum facinora æternis litterarum monumentis consignare possunt. Omnes hi loci criticæ artis documentis referti sunt; exponunt, quæ de Poetis judicia tulerint Romani, & utrum recte; præterea utiliter æque, ac jucunde narrant, quam originem duxerit, quos progressus fecerit Poesis. tandem Epistola clauditur egregiis Augusti laudibus, unde exorta est, quæ certe eo certiores sunt, aut vero propiores, quo minus Principis virtutes adulante Poeta indigebant. Multa indicant tempus, quo scripta est, ut mirum profecto sit, aliquos fuisse deceptos. Mentio enim fit de honoribus divinis

Res Italas armis tuteris, moribus ornes:
Legibus emendes : in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Cæsar.
Romulus, & Liber Pater, & cum Castore Pollux,
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras, hominumque colunt genus; aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida formant;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hidram:.
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit

vinis Augusto delatis anno 726, de summo rerum principatu, quem a Senatu accepit anno 727, de Parthis imperio submissis anno 734, de legibus latis ad componendos mores anno 736, de Poemate seculari recitato anno 736, de rebus gestis Tiberii & Drusi contra Noricos, Dalmatas, Pannonios, Germanos, Dacos anno 739, 742, 743, & ineunte 744, de clauso Jani Templo sub veris finem, aut æstatis initium hoc postremo anno. Ergo Poeta 55 annos natus hanc concinnavit : nempe duobus annis antequam morti occumberet. (V. Ind. *Octavius*).

V. 2. Exemplo & auctoritate licentiam Romanorum coercuit.

V. 4. Nec ego temere ago, qui longam Epistolam scribo tibi, & audeo auferre publico bono pretiosa tempora, quæ tu impendis pro Republica.

V. 5. Scite præfert Augustum his Diis.

V. 7. *Colunt*, idest regunt.

V. 12. Non nisi in morte.

V. 13. Qui artifices se ipso inferiores meritis suis premit. Merita enim magna quodammodo obstant iis, quos levia tantum commendant. hinc excitant invidiam propositæ utilitatis causa. mors vero omnia mutat, & ordinem rerum statuit, & in locum invidiæ admirationem subrogat. Præpostera illa, & vilissima agendi ratio a pectore humano tanquam a turbulento fonte proficiscitur.

Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per numen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nihil ortum tale fatentes.
Sed tuus hoc populus sapiens, ac justus in uno
Te nostris ducibus, te Grajis anteferendo,
Cætera nequaquam simili ratione, modoque
Æstimat; & nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit, & odit.

Sic

V. 18. *Hoc*, i. hac in re, exquisitissima, ac singulari laude effert Augustum.

V. 20. Revera, ut optime sentit Horatius, in judiciis de veterum operibus ferendis cogitandi libertas est excusatione dignior, quam superstitio. Quæ hodie vocantur hæreses in litterariis disputationibus, olim fortasse tanquam Delphica Oracula colentur. Sed nostris in re litteraria novatoribus duo evitandi sunt scopuli, in quos sæpe impingunt. Primus est, cum quis gloriatur se ceteris antistare, quod eorum errores detexerit. Plurimum sane interest inter acre in rebus cognoscendis judicium, & inter ingenium, quod eas parit. Minus reprehendendus est Scaliger, quod Horatii versus sugillavit, quam quod eos suis mutavit. Hunc scopulum teste Horatio S, l. 10, 55. effugit Lucilius. Alter scopulus est, cum Veritas opinionem communem oppugnare instituens non ita modeste & caute sese insinuat legentium animis, ut eos vel reluctantes vincat. Audita rei veræ novitate velut perculsus animus quodammodo refugit, ac reformidat. Præjudicatas opiniones minime evertes, si porrecta fronte aggrediaris. Si sol repente obscuræ speluncæ incolas illustret, atque adeo radiorum spicula in eorum oculos imparatos infigat eosdem perpetuo obcæcabit, &, quod deterius est, iis incommodi recordatione usque frementibus reddet invisum diei splendorem. Sin vero lux paulatim se se ostendat, in sensus facile irrepet, amoremque sui injiciet, gradatimque ac sensim progressa cupiditatem majoris luminis perfruendi augebit. Hæc documenta prænovit Horatius, solerterque adhibuit in reprehendendo Lucilio Sat. 4, & 10 lib. 1., & in refellendis superstitiosis hisce veterum fautoribus in hujus Epistolæ sequentibus versibus. (*Alamb.* T. 5.).

Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitat Albano Musas in monte locutas.
Si quia Grajorum sunt antiquissima quæque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina; non est, quod multa loquamur.
Nil intra est olea, nihil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunæ: pingimus, atque
Psallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Si

V. 23. Scite gradum facit ad rem sibi propositam. Fautores veterum, & recentiorum transversi agebantur. In duas partes scinditur controversia, alteram quidem juris, alteram facti. Prima est, utrum ætas dignitatem reapse omnem adjiciat operibus, altera num veteres perfectius, cumulatiusque scripserint, quam Recentiores. Horatius litem dirimit.

V. 24. Notum est leges 12 Tabularum a Decemviris evulgatas fuisse.

V. 27. Dictitat, Musas locutas fuisse hæc, nempe quæ sunt in 12 Tabulis, in Fœderibus statutis, in libris Pontificum, in Vatum voluminibus.

V. 28. Si quia inter græcos antiquissimus quisque optimus est, idem de Latinis judicare velimus, inutile est longius hac in re immorari; opus est concludere simili comparatione instituta in olea nihil esse duri, nihil duri in nuce, vel corticem nucis non esse duriorem oleæ nucleo.

V. 31. Hoc proverbio ironico utebantur Latini ad retorquendum adversarii argumentum, qui, quæ perspicue vera sunt, negabat, aut quæ perspicue falsa, affirmabat, aut qui rem toto cœlo a veritate remotam obtrudere nitebatur. Nos vulgo dicimus: *dunque non è giorno di mezzodì; dunque il bianco è nero*.

V. 32. Quoniam nos longius imperium protendimus, quam Græcia suum, ergo peritiores sumus artium, quam Græci. Ita igitur reflectit argumentum insistens adversarii vestigiis.

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus?
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, vetereſque referri debet, an inter
Viles, atque novos? excludat jurgia finis.
Ref. Eſt vetus, atque probus, centum qui perficit annos.
Hor. Quid? qui deperiit minor uno menſe, vel anno,
Inter quos referendus erit? vetereſne, proboſque,
An quos & præſens, & poſtera reſpuat ætas?
Ref. Iſte quidem veteres inter ponetur honeſte,
Qui vel menſe brevi, vel toto eſt junior anno.
Hor. Utor permiſſo, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello, & demo unum, demo & item unum;
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi,
Qui redit in faſtos, & virtutem æſtimat annis,
Miraturque nihil, niſi quod Libitina ſacravit.
Ref. Ennius, & ſapiens, & fortis, & alter Homerus
(Ut Critici dicunt) leviter curare videtur,
Quo promiſſa cadant, ac ſomnia Pythagorea:
Nævius in manibus non eſt? Non mentibus hæret
Pene recens? adeo ſanctum eſt vetus omne poema!

Am-

V. 34. Lepide irridet eos, quibuſcum pugnat.

V. 47. Indicat Soritem, captioſum & multiplex argumentandi genus, quo ex una re conceſſa per plures concluſiones inter ſe connexas gradatim ad rem propoſitam venitur.

V. 50. Securus jam gloria fruitur, de qua antea ſolicitus fuerat. Ajebat Ennius Homeri animam in ſuum corpus migraſſe.

Ambigitur quoties, uter utro ſit prior, auſert
Pacuvius docti famam ſenis, Accius alti:
Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte:
Hos ediſcit, & hos arcto ſtipata theatro
Spectat Roma potens, habet hos, numeratque Poetas
Ad noſtrum tempus Livi Scriptoris ab ævo.
Hor. Interdum vulgus rectum videt; eſt ubi peccet,
Si veteres ita miratur, laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.
Si quædam nimis antique, ſi pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
Et ſapit, & mecum facit, & Jove judicat æquo.
Non equidem inſector, delendave carmina Lævi
Eſſe reor, memini quæ plagoſum mihi parvo
Orbilium dictare; ſed emendata videri,
Pulchraque, & exactis minimum diſtantia, miror.
Inter quæ verbum emicuit ſi forte decorum,
Si verſus paulo concinnior unus & alter,
Injuſte totum ducit, venitque Poema.

In-

V. 62. *Ab evo*, i. ab anno 514, quo Comœdiam Livius in Romanam ſcenam primus protulit.

V. 67. Concedit. qui pervicaciter veterum cauſam propugnat, rationum momentis in contrarium allatis adactus tandem concedit, aliquos dicendi modos in Veterum ſcriptis eſſe nimis rancidos, eorum ſtilum eſſe duriuſculum, & languidum.

V. 75. *Totum poema injuſte ducit emtorem, & venit.* *Ducere* idem ac decipere, captare animos hominum.

Indignor quicquam reprehendi, non quia craſſe
Compoſitum, illepideque putetur, ſed quia nuper:
Nec veniam antiquis, ſed honorem, ac præmia poſci.
Recte, nec ne crocum, floreſque perambulet Attæ
Fabula, ſi dubitem: clament periiſſe pudorem
Cuncti pene Patres: ea quum reprehendere coner,
Quæ gravis Æſopus, quæ doctus Roſſius egit:
Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbi didicere, ſenes perdenda fateri.
Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud,
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri,
Ingeniis non ille favet, plauditque ſepultis,
Noſtra ſed impugnat: nos, noſtraque lividus odit.
Quod ſi tam Grajis novitas inviſa fuiſſet,
Quam

V. 78. Indignor, dum video eorum opera, & ſtatuas in bibliotheca Palatina collocatas.

V. 79. Conſtat, veterum Theatrum ſpargi ſolitum floribus, & aqua odorifera, ita ut ſpectatores omnes fragrantibus odoribus recrearentur. ſcena etiam ſternebatur floribus, quos Actores pedibus premebant. Quæ res locum dedit Hotio jocandi nomine Attæ, quod inditum fuit Poetæ Tito Quintio.

V. 86. Canticum a Numa ſcriptum, quod canebant Salii Martis Sacerdotes. licet illud C. Ælius interpretatus fuerit, tamen multis in locis obſcurum erat, & captu difficillimum teſte Varrone.

V. 90. Altera pars Epiſtolæ. non modo non vituperandi ſunt recentes, verum etiam laudandi, quod æquare, & ſuperare antiquos maxime obnitantur. Mater artium, ſcientiarum

Quam nobis, quod nunc esset vetus, aut quid haberet,
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus?
Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æque,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum:
Marmoris aut eboris fabros, aut æris amavit:
Suspendit picta vultum, mentemque tabella:
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragœdis,
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena relinquit.
Quod placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.
Romæ dulce diu fuit, & solemne, reclusa
Mane domo vigilare: clienti promere jura:
Cunctos nominibus certis expendere nummos:
Majores audire: minori dicere, per quæ
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit populus mentem levis, & calet uno
Scribendi studio; Pueri, patresque severi
Fron-

tiarumque est novitas. Veteres olim recentes erant. Præjudicata opinione abrepti antiquitatem deosculamur. Sed non annorum spatio ea metienda est, sed doctrinarum, & virtutum momentis pensitanda.

V. 94. Abusive pax genuit mollitiem, & liberales artes.

V. 99. * Duo illa adagia innuit. Dicitur enim *narrare Fabellam asino*, & *narrare Fabellam surdo*. ergo legendum videtur *Fabellam aut surdo*. Verum quid ni ea Horatius conjungere potuerit, atque adeo conjunxerit?

V. 103. *Plena*, i. fastidio affecta. levitatem Græciæ notat.

V. 105. Debitoribus, ad solvendum paratis die dicta.

V. 107. *Libido* habendi plura, quam par est.

Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior: & prius orto
Sole vigil calamum, & chartas, & scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod melicorum est,
Promittunt melici: tractant fabrilia Fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim:
Hic error tamen, & levis hæc insania quantas
Virtutes habeat, sic collige: Vatis avarus
Non temere est animus: versus amat, hoc studet unum
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet:
Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo: vivit siliquis, & pane secundo:
Militiæ quamquam piger, ac malus, utilis urbi.

V. 112. Horatius scribebat, legebat lecto cubans.

V. 114. Abrotonum est herba in medicamentis fingendis adhiberi solita. ea utitur Horatius pro quálibet planta.

V. 115. *Melici* pro *Musici*. præsertim ii indicantur, qui musico aliquo instrumento sonant.

V. 119. * Locus lautissimus hic est. dum insignis cujuslibet Poetæ officium laudare videtur, eodem tempore tacite, & callide probos suos mores ostendit.

V. 121. Fortasse hæc acciderunt Horatio, sed quia eadem ridebat, nihilique faciebat, idcirco nunquam de adversa sorte questus est. Certe domum suam in Sabinis, vel casu dirutam, vel incendio absumtam rursus ædificari jussit. *

V. 122. Incogitat: valde cogitat & impense.

V. 123. Siliqua est proprie folliculus, quo clauduntur legumina, v. g. faba. hic accipitur pro leguminibus. sæpe testatur se contentum esse parvo.

V. 124. Potest ne clarius significare ingenium suum minime aptum militiæ, ut vidimus, utile tamen urbi? fuit

Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari,
Os tenerum pueri, balbumque Poeta figurat:
Torquet ab obſcœnis jam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis;
Aſperitatis & invidiæ corrector, & iræ:
Recte facta refert; orientia tempora notis
Inſtruit exemplis: inopem ſolatur, & ægrum.
Caſtis cum pueris ignara puella Mariti
Diſceret, unde preces, vatem ni Muſa dediſſet?
Poſcit opem chorus, & præſentia Numina ſentit:
Cœleſtes implorat aquas docta prece blandus:
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Imperat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine dii ſuperi placantur, carmine manes.
Agricolæ priſci fortes, parvoque beati,
Condita poſt frumenta levantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum pueris, & conjuge fida
Tellu-

utilis Reip., nam Auguſtum dehortatus eſt a transferendo Trojam imperio, Mæcenatem monuit de Lepidi conjuratione, opera ſua plurimos juvit.

V. 126. Tradidit nobilibus pueris Lolliis, & Floro, & aliis præclara præcepta moralia.

V. 127. Avertit aures puerorum a turpiloquio.

V. 130. Cantavit res bene geſtas Auguſti, Agrippæ, Tiberii, Druſi, aliorumque, & illuſtria exempla propoſuit, quibus poſteri inſtruerentur, inopes & ægri ſolatium quærerent.

V. 132. Septem verſibus declarat, ſe Carmen ſeculare lucubraſſe.

V. 139. (V. Mant. Comm. *de origine Traged. & Comœd.*)

V. 143. Cato dicit *porcum* fem. gen.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc invecta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec jam sævus apertam
In rabiem cœpit verti jocus, & per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex,
Pœnaque sancta, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi. Vertere modum formidine fustis
Ad benedicendum, delectandumque redacti.
Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio. Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditiæ pepulere. Sed in longum tamen ævum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Græcis admovit acumina chartis,
Et post punica bella quietus, quærere cœpit,
Quid Sophocles, & Thespis, & Æschylus utile ferrent,
Tentavit quoque, rem digne si vertere posset:
Et placuit sibi natura sublimis, & acer.
Nam spirat tragicum satis, & feliciter audet:
Sed turpem putat inscite, metuitque lituram.

V. 144. Ait, id a Genio hominibus inculcari, nempe vitam esse brevem.

V. 153. Vide S. II. 1, 82.

V, 156. Tertia pars Epist.

V. 158. Versus Saturnii iidem erant ac Fescennini.

V. 160. Hæc pertinent ad exodia.

V. 164. Tentavit quoque, an digne posset argumenta græcarum fabularum in latinum sermonem convertere.

Creditur, e medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet Comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus: Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephœbi,
Ut Patris adtenti, lenonis ut insidiosi;
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis:
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat, an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat.
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit, ac reficit! valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc, terretque Poetam,
Quod numero plures, virtute & honore minores,
Indocti, stolidique, & dupugnare parati,
Si

V. 170. Plautum & Dossennum in medium arcessit, probatque optimos Poetas aliquando in Comœdia claudicare.

V. 174. Quam negligenter argumenta pertractat, ac defunctorie.

V. 175. Hoc de utroque Poeta dicit. omnis scriptor mercede conductus ingenium suum abjicit. Si Plautus & Dossennus minus lucri cupidi fuissent, præstantiores Comœdias edidissent.

V. 177. *Ventoso*, i. levi, parum tuto. Denotat pericula, quæ Poeta subit in scena.

V. 179. Adeo verum est, ut vel minimum quidpiam valeat ad abjiciendum ingenium laudis cupidum, aut ad attollendum.

V. 184. Parati conserere manus cum equitibus, sibi contradicentibus.

Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, & gaudia vana.
Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ.
Mox trahitur manibus regum fortuna revinctis.
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves:
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus Panthera camelo,
Sive Elephas albus vulgi converterit ora:
Spectaret populum ludis adtentius ipsis,
Ut sibi præbentem mimo spectacula plura.
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo: nam quæ pervincere voces

V. 188. *Incertos*, i. vagos, inconstantes, avidos omnia videndi.

V. 189. Nos contra utimur, atque veteres aulæis, quæ tollebantur, ut tegerent, & circumdarent eorum theatrum, & demittebantur, ut detegerent. Sublatis aulæis Actores scena abibant, demissis vero & pressis Actores prodibant ad agendam Fabulam.

V. 192. *Esseda* currus bellici genus a Belgis petitum. *Pilentum* erat currus genus, quo matronæ vehi solebant. naves rapræsentabantur tabella picta, sicut etiam urbes in illis fabulis.

V. 195. Panthera Camelo confusa diversum tamen ab utroque genus. vocatur Camelopardalis. vulgo *la Giraffa*. ejus pellis maculosa, & multicolor, cauda equina.

V. 196. Elephantes albi pluris æstimantur, quia perrari.

V. 198. Hæc vox *mimo* generatim sumitur pro Actoribus, qui illum triumphum exhibebant spectandum.

Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra ?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum;
Tanto cum strepitu ludi spectantur, & artes
Divitiæque peregrinæ, quibus oblitus actor
Quum stetit in scena, concurrit dextera lævæ.
Dixit adhuc aliquid ? Nil sane: quid placet ergo ?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quæ facere ipse recusem,
Quum recte tractent alii, laudare maligne:
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta: meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus: & modo me Thebis, modo ponit Athenis:
Verum age, & his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam impende brevem; si munus Apolline dignum
Vis complere libris, & vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.

Mul-

V. 203. Solertia artificum in ornandis hisce spectaculis.

V. 204. *Oblitus*, i. refertus, coopertus.

V. 210. Puto eum hominem per funem aere suspensum currere posse, qui me movere potest levibus rebus objectis, cum me vult aut falso terrore implere, aut pacare &c.

V. 214. Si vis, Auguste, præstantibus operibus implere palatinam bibliothecam, & accendere animos Vatum ad scribenda carmina immortalitate digna, adhibe curam, & prospice timidis scriptoribus, qui malunt censori tranquillo sua subjicere, quam ferre fastidia irati spectatoris.

Multa quidem nobis facimus mala sæpe Poetæ,
(Ut vineta egomet cædam mea) quum tibi librum
Solicito damus, aut fesso: quum lædimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum:
Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati:
Quum lamentamur, non apparere labores
Nostros & tenui deducta poemata filo:
Quum speramus eo rem venturam, ut, simulatque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, & egere vetes, & scribere cogas.
Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales
Æditus habeat belli spectata, domique
Virtus, indigno non committenda poetæ.
Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui versibus, & male natis
Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam, labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine fœdo

V. 220. Ut vitia quoque mea fatear.

V. 223. Cum pluries longa carmina recitamus minime poscentibus.

V. 225. Perfecte composita.

V. 230. Vocabantur æditui, qui templorum erant custodes. Metaphora versa est in Augusti laudem. Postquam ille honoribus divinis affectus est, Horatius ejus res gestas velut sacras spectat, quarum cura Poetis commissa sit.

V. 234. Moneta cusa signo Philippi Macedonum Regis, duorum & septuaginta sestertiorum minorum pretium æquabat.

Splendida facta linunt. Idem Rex ille, poema
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia: Quod si
Judicium subtile videndis artibus illud
Ad libros, & ad hæc Musarum dona vocares,
Bœotum in crasso jurares aere natum.
At neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quæ multa danti cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius, Variusque Poetæ.
Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per Vatis opus mores, animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas,
Terrarumque situs, & flumina dicere, & arces
Montibus impositas, & barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis, te Principe, Romam:

Si,

V. 237. *Linunt*: polluunt.

V. 242. Alexander magni æstimabat Homerum, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, eosque perlegebat avide non propter Poeseos decora, quæ vel parum amabat, vel non parum ignorabat, sed propter materiem, quam in eorum operibus unice spectabat. Eodem pacto Carolus XII Sueciæ Rex assidue legebat Q. Curtium.

V. 252. (V. ind. *Drusus*.). Augusti, Drusique laudes canit, eoque callidius, quo longius abesse videtur, ut eas perquirat. Sæpe ipse testatus est, se Epico carmini scribendo minime aptum. * Fortasse etiam (ut alias fecit) hos versus ex Varii poemate desumsit, ut re confirmet, quod infra dicit. *

Si, quantum cuperem, possem quoque, sed neque parvum
Carmen Majestas recipit tua: nec meus audet
Rem tentare pudor, vires quam ferre recusent.
Sedulitas autem, stulte quem diligit, urget,
Præcipue cum se numeris commendat, & arte.
Discit enim citius, meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat, & veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat: ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, & una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
Deferar in vicum vendentem thus, & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

EPISTOLA II.

AD JULIUM FLORUM.

Excusando se, quod nihil ad illum scripserit, melius esse declarat vitam, quam versus componere.

FLore, bono, claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibu-

Julius Florus cum inibi esset, ut Roma ad Orientem proficisceretur anno 731, ducem Tiberium secuturus, Horatium solicitavit, ut litteras mitteret, & in primis aliquot recentes Odas. jam menses non pauci effluxere, & nondum Florus litteras acceperat, aut versus. Cum ab eodem Horatius increparetur, hac se Epistola purgare conatus est, quæ qui-

Tibure, vel Gabiis; & tecum sic agat: Hic &
Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet, eritque tuus nummorum millibus octo,
Verna, ministeriis ad nutus aptus heriles,
Litterulis græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet: argilla quidvis imitaberis uda:
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti:
Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.
Res urget me nulla: meo sum pauper in ære.
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
Quivis ferret idem: semel hic cessavit, &, ut fit,
In Schalis latuit metuens pendentis habenæ:
Des nummos, excepta nihil te si fuga lædit.
Ille ferat pretium, pœnæ securus, opinor.

Pru-

quidem excellentibus præceptis ad Poesim & ad mores pertinentibus, lectissimisque censuræ satiræque condimentis abundat. Videtur fortasse scripta anno 732, quo Tiberius in Dalmatia, vel Thracia morabatur.

V. 5. Nummorum sestertiorum minorum.

V. 8. Docilis est.

V. 9. Cum opus est, canit, inscite quidem, sed non insuaviter.

V. 10. *Levant*, i. elevant, imminuunt.

V. 13. Nulla premor necessitate ad hujus venditionem, non cupio vendere, & si pauca bona possideo, saltem nullo ære alieno premor: nemo alius tibi hujusmodi emolumentum in conventis proponeret, quod ego tibi uni propono, non sine magna causa hoc tibi quispiam offerret. Mangones sunt ii, qui mancipia venalia habent.

V. 14. Refert vitium specie leve, sed hinc palam fit, versutum Servum fugere solitum: venditor tenebatur manifestare vitium, aliter nullum erat conventum.

V. 15. Heri suspendebant schalis lora, quibus visis adscendentes, & descendentes servi admonerentur, ne peccarent.

V. 16. In convento faciendo.

V. 17. Mercator sine metu pœnæ potest pecuniam accipere.

Prudens emiſti vitioſum: dicta tibi eſt lex:
Inſequeris tamen hunc, & lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiſcenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum: ne mea ſævus
Jurgares ad te quod Epiſtola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? quereris ſuper hoc etiam quod
Expectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat : poſt hoc vehemens lupus , & ſibi & hoſti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præſidium regale loco dejecit, ut ajunt,
Summe munito, & multarum divite rerum.
Clarus ob id facti donis ornatur honeſtis,
Accipit & biſdena ſuper ſeſtertia nummum.
Forte ſub hoc tempus caſtellum evertere Prætor
Neſcio quod cupiens, hortari cœpit eumdem
Verbis, quæ timido quoque poſſent addere mentem.
I bone, quo virtus tua te vocat: i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid ſtas?
Poſt hæc ille catus, quantumvis ruſticus, ibit,
Ibit eo, quo vis, zonam qui perdidit, inquit.
Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,

Ira-

V. 21. Epiſtolis officii cauſa ſcribendis.

V. 24. *Attentas*, i. conaris avertere.

V. 26. Secunda Horatii cauſa, qua ſe purgat. Poeta, cui nihil deeſt, verſus facit, animi tantum relaxandi cauſa.

V. 26. Viaticum eſt cibus, vel pecunia, vel quidpiam aliud ſimile, quod Viatores ſecum ferunt. hoc loco ſignificat nummos, quos ille miles congeſſerat tempore belli, ſive ex ſtipendio, ſive ex præda.

V. 33. Seſtertia majora. Seſtertium majus tanti erat, quanti mille minores ſeſtertii. Ergo 20 ſeſtertia ſunt 20000 ſeſtertiorum minorum.

V. 40. Veteres in zona condebant nummos.

Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles.
Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ:
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter sylvas Academi quærere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato:
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris, & fundi, paupertas impulit audax,
Ut versus facerem: sed, quod non desit, habentem,
Quæ poterunt unquam satis expugnare cicutæ,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?
Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum:
Tendunt extorquere poemata. Quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur, amantque.
Carmine tu gaudes, hic delectatur jambis:
Ille Bioneis sermonibus, ac sale nigro.
Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis quod tu, jubet alter:
Quod petis, id sane est invisum, acidumque duobus.

Præ-

V. 44. *Curvo*, i. malo.

V. 52. Sed cum putem melius esse dormire, quam scribere versus, quæ cicutæ poterunt unquam satis expurgare me habentem, quod non desit; idest, nisi malim quam benigne uti præsentibus, & in senectute quiescere, quam laborare, insanabili sane morbo conflictarer.

V. 55. Tertia causa. agebat Poeta 44 ætatis annum. hic locus sane lepidissimus est.

V. 58. Judiciorum varietas quartam suppeditat Poetæ causam. quot capita, tot sententiæ.

V. 61. Pulchra sane comparatio, & aptissima.

Præter cætera, me Romæ ne poemata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas, totque labores?
Hic ſponſum vocat, hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; viſendus uterque,
Intervalla vides humane commoda: verum
Puræ ſunt plateæ, nil ut meditantibus obſtet:
Feſtinat calidus mulis, geruliſque redemtor:
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum:
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris:
Hic rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus.
I nunc, & verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, ac fugit urbes,
Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis, & umbra.
Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, & cunctata ſequi veſtigia vatum?
In-

V. 65. Hæc cauſa quinto loco poſita veriſſima eſt. Poetæ quietem & ſeceſſum poſtulant.

V. 67. *Sponſum*, i. ad ſpondendum. * hinc patet, quantopere præſto fuerit Amicis Horatius, licet nimias moleſtias ſæpe memoret *.

V. 68. Mons Quirinalis 4 fere millibus paſſ. diſtabat ab Aventino, ille ſeptentrionem in ſexta Romæ regione, hic meridiem in decima tertia ſpectabat. Tota urbs media peragenda erat ei, qui ab hoc ad illum montem concedere volebat.

V. 70. More rerum humanarum, quarum commoditates ſuis incommoditatibus miſtæ ſunt. *vel*: mediocriter magna. *vel:* ironice dictum. comparatione utitur a fortiori. Athenis, inquit, ubi otium regnat, irrideretur ille, qui urbem percurrens ſuas cogitationes in ſtudiis defigeret. Quid de me dicendum eſſet, ſi idem facerem Romæ, ſtrepitu omnigeno undique circumſonantis?

V. 71. Id refellit exemplo Athenarum a fortiori.

V. 74. Pompæ funebres conantur ſibi viam aperire inter currus multos lapidibus ponderoſis onuſtos.

V. 80. *Cunctata*, i. incerta, dubia, in quibus detegendis cunctari neceſſe fuerit.

Ingenium, sibi qui vacuas desumsit Athenas,
Ut studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris, & curis, statua taciturnior exit
Plerumque, & risu populum quatit: hic ego rerum
Fluctibus in mediis, & tempestatibus urbis
Verba lyræ motura sonum connectere digner?
Frater erat Romæ consulti Rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores:
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste Poetas?
Carmina compono, hic elegos, mirabile visu,
Cælatumque novem Musis opus: adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum-
Spe-

V. 81. *Ingenium*, i. vir ingeniosus.

V. 84. *Et risu*, i. & se ridendum præbet.

V. 86. *Digner*, i. operæ pretium putem?

V. 87. Versus 54 sequentes continent sextam causam, qua se purgat de pigritia. Ars Poetæ semper infelix est. Si opus male vertat, licet Poetæ mutuis se laudibus cumulent, tamen despicatui, & ludibrio habetur. Poeta si cæteris præstare vult, quot labores devorare debet? si alterutrum mihi consilium capiendum esset, certe primum amplecterer, & mallem sibilis excipi, licet pro certo haberem, me pulchra carmina lucubrasse, quam angi, ut laudem assequerer. Ut ingenue fatear, quod sentio, præstat quiescere, & a versibus faciendis desistere, ita Horatius. Satiram lepidissimam agit in eos Poetas, qui in se invicem laudes congerere certant. Initium sumit a comparatione duorum Fratrum, qui se vicissim laudibus in cœlum tollebant. Hoc in more positum est penes indoctos. Varro hac super re Satiram scripsit, quam vocat *Mutua muli scabunt. gli asini si grattano tra loro*. Frustra igitur Heinsius hunc locum, nempe a v. 87 usque ad 140 postponit extremo versui hujus Epistolæ. Ejus Oraculis, quæ tantopere prædicat, nullam fidem habeamus. Rosellus credit τὸ *Frater* accipiendum lato modo pro *amicus*.

V. 90. An minus stulti sunt Poetæ?

V. 91. Nomine Carminum ergo veniunt Odæ.

V. 92. Hoc refertur ad τὸ *hic elegos*: & *mirabile visu* ad *carmina compono*. *Musis* ablat. *Cælatum*, i. studiose & affabre elaboratum.

Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.
Mos etiam (si forte vacas) sequere, & procul audi,
Quid ferat, & quare sibi nectat uterque coronam.
Cædimur & totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus;
Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,

Quum

V. 94. *Vacuam*, i. apertam, liberam, ita explicant Porphirio, Heinsius, Bentlejus, Sanado. *ædem*, h. e. templum Apollinis. Sed Masso sic: Vide quo fastu, & solicitudine quærimus tota urbe aliquam domum potentis viri, quæ sit vacua ad excipiendos Poetas Romanos, qui velint legere carmina. Lambinus, Chabotius, Torrentius, Dacierius contendunt hic agi de superbis illis Poetis, qui ædem illam Musarum ingressi affirmabant, nullos ibi fore latinos Poetas, nisi ipsi illuc suamet scripta conferant. Sed nimis acute.

V. 95. Licet Florus Roma abesset, poterat tamen memoria repetere, quæ viderat pluries in doctorum hominum coetibus. Hinc *adspice*, *sequere* &c.

V. 98. Romani domi oblectabantur ludicra pugna Gladiatorum spectanda, qui antiquorum Samnitum insignibus conspicui præpilatis ensibus altercabantur, ita ut de victoria diu sine cæde contenderent. hinc *lentum duellum*.

V. 99. *Discedo* &c. id refertur ad *carmina compono*. videtur Passeratio & Vulpio hic agi de Propertio, qui se *Romanum Callimachum* appellabat, & anteferebat Mimnermum Homero. Eleg. enim 9. lib. 1 ait. *Plus in amore valet Mimnermi versus Homero*. *puncto*: i. suffragio.

V. 100. Poeta, quem vult laudare Horatius, scribebat Elegias, ideo eum comparat Callimacho.

V. 101. Ei tradunt nomina, quæ magis cordi & melli sunt.

V. 102. Videtur Dacierio Horatius multa secum ferre solitus, quibus placet, & alliciat eos Poetas. Ut qui canem rabidum, & efferum leniturus fert secum panem. Sed satius est ita vertere. Multa incommoda perpetior, ut &c.

Quum ſcribo, & ſupplex populi ſuffragia capto:
Idem finitis ſtudiis, & mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur, mala qui componunt carmina: verum
Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & ultro,
Si taceas, laudant quidquid ſcripſere, beati.
At, qui legitimum cupiet feciſſe poema,
Cum tabulis animum Cenſoris ſumet honeſti;
Audebit, quæcumque parum ſplendoris habebunt,
Et ſine pondere erunt, & honore indigna ferentur,
Verba movere loco: quamvis invita recedant,
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtæ.
Obſcurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum,

Quæ

V. 104. Sed ſi me libero hac ſcribendi inſania, volo obturare aures &c.

V. 105. *Impune*, i. audacter, non reformidans iram, & offenſionem legentium moleſtorum. Dacierius refert *impune* ad *legentibus*, i. lectoribus impudentibus, quorum injuriam, & importunitatem ulciſci nequeamus.

V. 107. Voluptas ſcribendorum carminum Poetis magna eſt, ſed periculoſa, niſi acre & ſubtile judicium accedat. Quilibet Poeta poetico æſtu ardens mira ſe parere putat, ſed vehementer fallitur.

V. 109. Poſtquam dixit, Poetam ſtulte ſua admirantem contemni, & derideri, addit, difficillimum eſſe perfectum Poema condere. Hinc concludit, infelicem eſſe Poetarum vicem.

V. 111. Poetici dicendi modi perſpicuitate, vi, & venuſtate præditi eſſe debent.

V. 114. Veſtæ penetralia ingredi uni Maximo Pontifici licebat. Sic Poeta ſua opera in ſcriniis claudere, atque expurgare poteſt, cum libet.

V. 115. Inter verba antiqua ea ſeligenda eſſe, quæ Orationi vim & gravitatem ſuppeditant: *ſpecioſa*: quæ ſunt ignota dumtaxat populo, *obſcurata populo*. Modum adhibendum in eorum uſu: *bonus*, i. vim vocis temperandam eſſe ratione loci, ſenſus, & adjacentium vocabulorum.

Quæ priſcis memorata Catonibus, atque Cethegis,
Nunc ſitus informis premit, & deſerta vetuſtas:
Adſciſcet nova, quæ genitor produxerit uſus,
Vehemens, & liquidus, puroque ſimillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua:
Luxuriantia compeſcet, nimis aſpera ſano
Lævabit cultu, virtute carentia tollet:
Ludentis ſpeciem dabit, ac torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.
Prætulerim ſcriptor delirus, inerſque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quam ſapere, & ringi. Fuit haud ignobilis Argus,
Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vano lætus ſeſſor, plauſorque theatro:
Cætera qui vitæ ſervaret munia recto
More: bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes,

V. 117. Adhibet hos duos viros, pro quolibet priſco Auctore. Primus eſt Cato Cenſor, alter M. Cornelius Cethegus, qui fuit Conſul anno 550. Non loquitur de antiquioribus illis, qui vivebant primis Reip. ſeculis meram linguæ barbariem redolentibus.

V. 119. Novæ voces quodammodo ab aliis jam uſu acceptis derivandæ ſunt, ut *pauperare*, *inimicare*, *æternare*, *a pauper*, *inimicus*, *æternus*.

V. 120. Hoc uno verſu pingitur ſtili poetici pulchritudo.

V. 126. Ex iis, quæ dixit de infelici Poetarum conditione duo concludit, quorum alterum joculare, alterum vero grave eſt. Ac primo quidem ait, ſe malle eſſe malum Poetam, excellendi ſpe ductum, quam poſt tot labores excellere. Secundo vero, utilius eſſe incumbere ad mores conformandos, quam ingenium in metiendis verſibus, in penſitandis verbis torquere.

V. 128. Quam ſapere cum tacita indignatione, moleſtia, & angore. *fuit*. ut probet conſilium, quod ipſe capere videbatur verſu 126, joco dictum, rem narrat, quæ non minus ridicula, quam jucunda eſt; ſed ſtultitia Argi illius excuſatione digna eſt, non vero fuiſſet Horatii.

Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ:
Poſſet qui rupem, & puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus, curiſque refectus,
Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe: Pol, me occidiſtis, amici,
Non ſervaſtis, ait; cui ſic extorta voluptas,
Et demtus per vim, mentis gratiſſimus error.
Nimirum ſapere eſt abjectis utile nugis,
Et tempeſtivum pueris concedere ludum,
Ac non verba ſequi fidibus modulanda latinis,
Sed veræ moduloſque modoſque ediſcere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc, tacituſque recor-
dor:
Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ,
Narrares Medicis. Quod, quanto plura paraſti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi, monſtrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem Di donarint, illi decedere pravam
Stultitiam: &, quum ſis nihilo ſapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus iiſdem?
At, ſi divitiæ prudentem reddere poſſent,
Si cupidum, timidumque minus, tu nempe ruberes,
Viveret in terris te ſi quis avarior uno.
Si proprium eſt, quod quis libra mercatur, & ære;
Quæ-

V. 137. *Meraco*, i. puro.
V. 141. Hæc concluſio eſt ſeptima cauſa, vel excuſatio.
V. 146. Locus egregius, quo ſecum loquitur Poeta, & cogitat, quid æqui, & honeſti præſtandum ſibi ſit in vita. Harum duarum ſimilitudinum auctor eſt Ariſtippus, quæ extant apud Plutarchum in libello περὶ φιλοπλουτίας.
V. 158. Primis Reip. temporibus uſque ad regnum Servii Tullii argentum libra pendebatur. Itaque libra neceſſaria erat in rebus vendendis, & emendis. Hic dicendi modus
non

Quædam (ſi credis conſultis) mancipat uſus ;
Qui te paſcit ager, tuus eſt : & villicus Orbi
Quum ſegetes occat, tibi mox frumenta daturas,
Te dominum ſentit. das nummos, accipis, uvam,
Pullos, ova, cadum temeti. Nempe modo iſto
Paulatim mercaris agrum, fortaſſe trecentis,
Aut etiam ſupra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?
Emtor Aricini quondam, Vejentis & arvi,
Emtum cœnat olus, quamvis aliter putat : emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
Sed vocat uſque ſuum, qua populus adſita certis
Limitibus vicina refigit jurgia : tanquam

non obſolevit. Senſus eſt : Quoniam id quod emimus numerato, noſtrum eſt, quia, ſi credis juriſconſultis, nonnulla ſunt, quæ uſu propria nobis fiunt, non potes dicere tuum eſſe agrum, qui te alit ? Taxat eorum avaritiam, qui pecuniam congerunt, ut demum ſibi parent prædia, & probat, eos, qui nullum prædium poſſident, dominos eſſe agrorum, quorum fructibus veſci ſolent numerata pecunia emtis. Cicero ait Curio : „ *id enim cujuſque eſt proprium, quo quiſque fruitur, atque utitur.* „ *Mancipat* : *fa paſſar da una mano in un' altra.*

V. 160. Orbius erat vir dives, qui ingentes reditus ex prædiis ſuis percipiebat.

V. 161. *Segetes*, i. terras. *occare*, eſt raſtris vel irpice glebas frangere.

V. 163. Poetæ temetum accipiunt pro quolibet vini genere.

V. 165. *Nummorum*, i. ſeſtertiorum minorum.

V. 170. Sibi objicit hæc. * Dacierius legit *refugit*, aitque pendere a *limitibus certis*, non autem ab *adſita*. *refugit*, i. amovit lites. Sanado vero cum Bentlejo *refigit*, i. aufert cauſas contentionum inter vicinos. poterat Poeta dicere, qua limes ſignat agros : animadverte verſum affabre factum, & curioſam ejus felicitatem, & poeticum ſcribendi modum, & metatheſim verborum non inconſulto quæſitam. Similia certe pluribus in locis reperies. *tanquam*. reſpondet objectioni. *

Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema
Permutet dominos, & cedat in altera jura.
Sed quia perpetuus nulli datur usus, & hæres
Hæredem alterius, velut unda supervenit undam;
Quid vici prosunt? aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani? Si metit Orcus
Grandia cum parvis non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Getulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curet habere;
Cur alter fratrem cessare, & ludere, & ungi
Præferat Herodis palmetis pinguibus, alter.
Dives, & importunus, ad umbram lucis ab ortu
Sylvestrem flammis, & ferro mitiget agrum:
Sit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum-
Quodque caput; vultu mutabilis, albus & ater.
Utar, & ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam, nec metuam, quid de me judicet hæres;
Quod non plura datis invenerit, & tamen idem

Scire

V. 177. Quid prodest emere rura tota, horrea erigere?

V. 180. Etrusci in fingendis statuis, vasis fictilibus, æneis &c. insignes erant, ut ostendat, illos ornatus necessarios minime esse, ait, plerosque homines de his nihil cogitare.

V. 184. Judæa palmetis abundabat, ex quibus magnas sibi opes comparabat Rex. Erat Herodes Ascalonita, & Idumæus filius Antipatri. Regno potitus est anno 717, regnavit 37 annos, & obiit anno 750, tertio Idus Martias; vel quinto Cal. Apr., tribus mensibus post J. C. natum, h. e. tribus annis, & novem mensibus ante æram Vulgarem Dionysii Exigui.

V. 185. Sibimet molestus, summet animum torquens.

V. 192. Jocans hæc ait Poeta. Fatetur enim alibi, se prorsus rebus omnibus destitutum fuisse post Philippense prælium.

Scire volam, quantum simplex, hilarisque nepoti
Discrepet, & quantum discordet parvus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
Invitus facias; nec plura parare labores;
Ac potius, puer ut festis quinquatribus, olim
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda procul procul absit: ego, utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus, & idem.
Non tumidis agimur velis aquilone secundo,
Non tamen adversis ætatem ducimus austris.
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus; abi: quid? cætera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, & ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior ac melior fis accedente senecta?
Quid te exemta levat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.

V. 200. Sum multo inferior primis, sed possum etiam gloriari, me non esse inter extremos.

V. 208. *Miracula* falsa, anilia terriculamenta.

V. 209. Lemures vocabantur quidam Genii molesti, qui noctu homines terrebant.

V. 210. Jucunde ne subducis rationem annorum tuorum, dum quotannis natalem tuum celebras cum tuis popularibus, propinquis, amicis, vicinis? &c.

V. 213. Tempus est recedendi isthinc. Senex secessum petit, & locum juvenibus relinquit apertum.

Lusisti satis: edisti satis atque bibisti;
Tempus abire tibi est: potum ne longius æquo
Rideat, ac pulset lasciva decentius ætas.

Finis Satirarum, & Epistolarum.

TA-

TABULA CHRONOLOGICA

SERMONUM SEU SATIRARUM, ET EPISTOLARUM HORATII

Juxta Sanadonis Sententiam.

Satiræ compositæ ab anno 711 *usque ad* 724 *ab U. C, nempe a* 22 *usque ad* 35 *Horatii nati*,

PRÆFATIO.

VERTUMNUM, JANUMQUE.

LIB. I. Ep. 20.

SATIRARUM LIBER PRIMUS.

Sat. 1	QUi sit Mæcenas	Lib. I.	Sat. 1.
2	Proscripti Regis Rupili	I.	7.
3	Quæ virtus & quanta	II.	2.
4	Egressum magna	I.	5.
5	Sic raro scribis	II.	3.
6	Olim truncus eram	I.	8.
7	Hoc erat in votis	II.	6.
8	Jamdudum ausculto	II.	7.
9	Ambubajarum collegia	I.	2.

LIBER SECUNDUS.

Satiræ compositæ ab anno 724 usque ad 746 ab U. C. nempe ab anno 35 usque ad 55 Horatii nati.

Sat. 1	Eupolis atque Cratinus	Lib.	I. Sat.	4.
2	Ibam forte via sacra		I.	8.
3	Omnibus hoc vitium est		I.	3.
4	Nempe incomposito		I.	10.
5	Sunt quibus in Satira		II.	1.
6	Unde & quo Catius		II.	4.
7	Hoc quoque, Tiresia,		II.	5.
8	Non quia Mæcenas		I.	6.
9	Ut Nasidieni		II.	8.

LIBER PRIMUS EPISTOLARUM.

Epistolæ compositæ ab anno 720 usque ad 734 ab U. C. nempe ab anno 31 usque ad 45 Horatii nati.

Epi. 1	Albi nostrorum sermonum	Lib.	I. Ep.	4.
2	Quid tibi visa Chios		I.	11.
3	Trojani belli Scriptorem		I.	2.
4	Ne perconteris, fundus meus		I.	16.
5	Nil admirari prope		I.	6.
6	Quæ sit hiems Veliæ		I.	15.
7	Septimius Claudi		I.	9.
8	Quinque dies tibi pollicitus		I.	7.
9	Flore bono claroque		II.	2.
10	Juli Flore, quibus		I.	3.
11	Celso gaudere		I.	8.

LIBER SECUNDUS.

Epistolæ compositæ ab anno 734 usque ad 746 ab U. C. nempe ab anno 45 usque ad 17. Horatii nati.

Ep. 1	Si bene te novi	Lib. I.	Ep. 18.
2	Si potes Archiacis	I.	5.
3	Fructibus Agrippæ Siculis	I.	12.
4	Quamvis, Scæva, satis	I.	17.
5	Prisco si credis	I.	19.
6	Villice Sylvarum	I.	14.
7	Quum tot sustineas	II.	1.
8	Ut proficiscentem docui	I.	13.
9	Urbis amatorem	I.	10
10	Prima dicte mihi	I.	1.

LIBER TERTIUS.

Epistola ad Pisones de Arte Poetica (quam leges in T. III.)

Humano capiti.

Finis Tomi Secundi.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 4. lin. 3. feorfim	feorfum
11. l. 4. Fllypfibus	Ellipfibus
34. l. 20. oxymaron	oxymoron
50. l. 6. ditiffimu.	doctiffimus
64. l. 27. altos	albos
73. l. 32. Encea	Eneca
78. l. 17. Præf.	T. 3. Mant. Comm.
79. l. 16. impere	implere
99. l. 17. probat?	probat;
155. l. 36. conftruerat	conftruxerat
176. l. 7. crumena	crumena?
Ibid. l. 18. quam quid	quam quod
Ibid. l. 19. noceat	voveat,
181. l. 19. cavere	carere
183. l. 9. in quemque	ita quemque
188. l. 30. literis	liberis
193. l. 21. Titius	Titius,
255. l. 2. Mos	Mox